EUCHARISTIA defenſa:

Sive

ELENCHUS Theologicus;

Quo, ſolidè & perſpicuè, monſtratur,

Eccleſiam Reformatam de Euchariſtia, juxta Scripturam, docere atque ſentire:

Transſubſtantiationem contrà; eſſe dogma, quod & Scripturæ repugnet, & fidei Analogiæ, & puræ Antiquitati, & ſobriæ Rationi; Dogma denique eſſe novum, incertum, Scholaſticorum diſſidiis miſerè laceratum, & ſcandali pleniſſimum.

Breve accedit examen Cap. VI. Iohannis, quo probatur, magno Eccleſiæ Romanæ diſpendio, Chriſti concionem, de Pane vitæ, explicari de Euchariſtia; ſive manducatione Sacramentali.

Authore

Joh. Henrico Höttingero, D.

TIGURI.
Ex Typographeo Bodmeriano.
MDCLXIII.

Digitized by Google

INDEX SECTIONUM.

I. *Materia hujus ſcripti, ejúſque Methodus.* 1.

II. *Occaſio diſceptationis de Euchariſtia Viri doctiſſimi,* 8.

III. *De Locutionibus Sacramentalibus,* 20.

IV. *De Identitate Phraſium* Sacramentalium, 20.

V. *Non eſſe Zuinglii commentum, ESSE poni pro SIGNIFICAT.* 30.

VI. *De ſenſu verborum,* Hoc eſt corpus meum, *Tropico, ſeu figurato,* 53.

VII. *Transſubſtantiationi nec Scripturam pacrocinari, nec Rationem, nec Antiquitatem,* 62.

SECTIO I.

Occaſio hujus Scripti, ejuſque Methodus.

VT olim Athenæ, ſic vicinum jam nobis Tiberii forum ſemper aliquid novi! Et inſtantibus quidem hujus anni nundinis Pentecoſtalibus illud nobis attulit, quod omnium minimè exſpectâſſemus. *Diſceptationem brevem de Euchariſtia, cum facultate Superiorum, Soloduri, ex Iohannis Iacobi Bernhardi Typographia emiſſam.* Mirabar, notorium Authoris in limine ſtatim omiſſionis peccatum. Nomen Authoris deſiderabam. Id quod, ſalva conſtitutione Concilii Tridentini, fieri non poterat. Ita enim ſeſſ. 4. *ſtatuit ſacroſancta Synodus, ut poſthac nulli liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis libros de rebus ſacris, ſine nomine auctoris*, propter imminens periculum falſitatis, fraudis aut doli, quod in ſimilibus libris anonymis plerunque latere ſolet, cùm ſub incognita facie quælibet liberiùs audaciúſq; proponantur, ut ex *Stephan. VVeyms* obſervat *Auguſt. Barbos.* in ſeſſ. citatam. Et in *Indic leibrorum prohibitorum*, auctoritate Pii IV. & Sixti V. Coloniæ 1597. edito, mandatum ſſ. 1. de impreſſione librorum, ita habet: *Nullus liber in poſterum excudatur, qui non in*

fronte nomen, cognomen & patriam præferat Authoris. Mirabar, ſcriptum privatum, occaſione privata, anno 1660. conceptum, jam demum, & quidem poſt beatam ἐρῥωδιώκτυ, Viri doctiſſimi, & de Eccleſia Reformata præclarè meriti Theologi, ex hac Eccleſia militante in triumphantem translationem; publicæ exponi luci. Quaſi leoni inſultare mortuo illuſtre atque Heroicum eſſet facinus! Mirabar inſuper, aliud Tigurinis antehac, & initio quidem hujus velitationis literariæ, miſſum eſſe ſcriptum; aliud contra Tigurinos jam typis vulgatum. Quantum autem hoc ab illo differat, ex collatione nemini obſcurum eſſe poterit. Mirabar denique, Tigurinos, ſine diſcrimine, ubique vapulare, omnibúſque fuiſſe exedendum, quod unus & alter intrivit. Etſi enim nec cauſam deſerturi fuiſſent Tigurini, nec patrocinium denegaturi piis defuncti manibus, non conſuevit tamen Eccleſia Tigurina inter ſcripta ſua, ſive publica, ſive ſymbolica referre, quod non & Ampliſſimi Magiſtratûs decreto, & totius Miniſterii, Eccleſiæ ſaltem repræſentativæ calculo ſit injunctum, approbatum, & in lucem protractum. Quod quidem cumprimis *doctiſſimo authori* (hoc enim nomine, cùm ſuum extare noluerit, eum, quo cum nobis res eſt, magno ejus merito, appellare licebit) & tantò diligentiùs erat obſervandum, quantò exploratiùs perſpectum ille haber, Eccleſiam Romanam, ne eorum quidem,

con-

contra receptam conſuetudinem, fraudi eſſe permittere authoritatem, quorum tamen ſcripta, ordinariâ Cenſorum curâ, probata, elimata & ad prælum deſtinata ſunt. Si mille *Bellarminos, Baronios*, ne dicam, *Eſpenſæos, Marollæos, Montanos, Muſios*, Eccleſiæ Romanæ vel diſſenſui, vel novitatibus, vel ſuperſtitionibus opponamus, unâ expungentur liturâ omnes; *Unius & alterius judiciis Eccleſiam Romanam nec ſtare, nec cadere*. Cur ergo nobis Talionis legem invideant? Cur ſalutem Eccleſiæ Tigurinæ, ejúſque, circa Controverſiam ſacramentariam, ſenſum à privata hac Monomachia ſuſpendant? Nulli enim, etſi docto, etſi ſancto, etſi præclarè merito, unquam hoc dedit Eccleſia Tigurina, ut pro ſymbolico, totius Eccleſiæ ſcripto recipiendum obtulerit, quod publicæ authoritatis & approbationis ſigillum non haberet. Quæ quidem Eccleſiæ noſtræ, non vicinis modò, ſed remotis etiam adeò nota eſt Methodus, ut vel monere, Soli ſit lucem mutuare. Opportunè hoc loco occurrit, quod, in Controverſia quoq; ſacramentaria, ſuperiori ſeculo *Andreæ Fricio*, Modrevio, cum Stanislao *Orichovio Roxolano*, Viro, ut vocat, *facundo & erudito*, contigit. Magna erat Fricii in Polonia authoritas; ipſi etiam Orichovio, ob eruditionem ſingularem ille commendatus: Credebat proinde, victoriam, ex proſtrato Fricio ſibi pulchram & ſpectabilem, ſi fortè nactus eſſet; ipſámque adeò

A 3 bo-

bonam Reformatorum cauſam, periculoſum acceptur am vulnus. Sed magna prudentia & ingenuitate Fricius hunc declinavit ictum, neque unquam voluit per ſuum latus periclitari Eccleſiam Helveticam, cui ille in doctrina Sacramentaria majorem grato animo acceptam tulit lucem. *Confutavit*, inquit (*Simplic. narrat.* & *expoſtulation. cum Staniſl. Orichov.* pag. 130.) *Orichovius ante annos circiter decem Lutherum, primatum Papæ convellentem. Cur non idem fecit confutandis Helvetiis, qui de Cœna Dominica longè ſecus doceant, quàm Papiſtæ? Non obſtitit Orichovius principiis, cùm tamen non ignoraret, quid Helvetii docerent. Sciret, dogma illorum in omnes nationes, in Poloniam etiam, abhinc ferè decennium profluxiſſe: hodie in Eccleſiis Reformatis reſonare. Dormitabat bonus Orichovius: nunc primum oculos aperuit ad illud confutandum in perſona Fricii. Cur ita? An ſe gloriam ampliorem eo victo relaturum ſperabat? Hoc verò perinde eſt, ac ſi quis Achille & Hectore omiſſo, de gregario milite gloriam reportare velit. Non eſt operoſus labor, vincere inermem, aut certè parum armatum, nec glorioſa victoria, quæ ſtat ſine ſanguine & vulnere. Conferendæ erant Orichovio manus cum Oecolampadio, cum Zuinglio, cum Bucero, cum Bullingero, cum Calvino, cum Martyre, cúmq; aliis anteſignanis, ut juſtum triumphum*

phum ageret ex hoſtibus. Fricio enim victo, an cauſa victa eſt? Animadvertit doctiſſimus Vir, quid velim. Neque à proſelyto, armis licèt à noſtris utcunque inſtructo, arma tamen noſtra tractare nondum aſſueto, exſpectandum fuiſſe ultimum cauſæ noſtræ præſidium; neque Tigurinorum cauſam ex amicis velitationibus, ſed publicis congreſſibus & ſymbolicis ſcriptis æſtimandam. Intra arcta privatorum pomœria includi nos non patimur. *Zuinglii* noſtri (ut ne quidem alios commemorem) priùs elidenda fuiſſent tela, quæ in cauſa Euchariſtica fudit ; *Petro Martyri* argumentorum phalanges, quibus in Anglia, diſputationibus publicis triumphans, genuinam de S. Cœna ſententiam aſtruxit, & falſam deſtruxit, eripiendæ ; Arma, quæ Tigurinorum Polyhiſtor *Rodolphus Hoſpinianus*, feliciſſimè in Adverſarios, tam ex Scriptura, quàm antiquitate, contorſit, extorquenda; antequam ἐπινίκιον non de Tigurinis dicam omnibus, ſed uno tantùm, & altero Doctore Tigurino primario, intempeſtivè caneretur. Hic Rhodus, hîc ſaltus ' Placuit paucis præfari, breviterq; , quid in ipſo ſtatim Diſceptationis veſtibulo deſideraverimus, monere, non quaſi vel vadimonium eſſemus deſerturi, vel doctiſſimi Viri quicquam in receſſu haberent rationes, quod aliquoties jam, & operoſè quidem à noſtris expenſum & confutatum non fuerit; ſed ut, tum

de Tigurinæ Eccleſiæ modeſtia paciſque ſtudio, quæ privatorum colliſionem, in publicam contentionis flammam noluit erumpere, conſtaret; tum e. probaremus, paratos nos eſſe, quod Petrus flagitat, 1 *Ep.* 3. 15, *ad reſpondendum cuilibet, petenti rationem ejus ſpei, quæ in nobis eſt, cum lenitate & reverentia.* Quod poſterius Apoſtoli, diſputationum Theologicarum gubernaculum, doctiſſimo Viro tantò liberaliùs pollicemur, quantò majorem ipſe in ſua diſceptatione oſtendit moderationem. Sed ad rem, & κατὰ πόδα quidem, ſuccinctè, quantum fieri poteſt, & dilucidè. Ne verò amica hæc & modeſta diſputatio noſtra tumultuaria ſit, vaga, aut incerta, quæ extra carceres currat, geminis eam includemus cancellis, κατασκευῇ, ſive *aſſertione* ſententiæ de Cœna Domini Orthodoxæ, & ἀνασκευῇ, ſive *deſtructione* opinionis adverſæ. Atque hos limites ipſe nobis Vir doctiſſimus conſtituit. Primaria enim nuper inter ipſum & noſtros in capite de Cœna quæſtio erat; *Vtrum*, Eccleſia Romana *magis ſecundùm Evangelium ſentiret, quàm Proteſtantes, id eſt, Tigurini?* Affirmativam ille tuebatur, *fretus ſcil. verbis, Iohannis Cap. VI. Matthæi, Marci, Lucæ, ac Pauli de inſtitutione Euchariſtiæ.* Noſtri negativam defendebant, tum aliis inſtructi argumentis, tum verò conſtanti phraſium ſacramentalium uſu & conſuetudine; quæ aſſerere nos jubent, *Panem*

nem eſſe corpus Chriſti, vinum eſſe ſanguinem Chriſti eodem modo, quo in reliquis Veteris & Novi Teſtamenti Sacramentis, circumciſio eſt fœdus, agnus eſt tranſitus, baptiſmus eſt lavacrum *regenerationis*. Hæc erat noſtratium theſis ſive aſſertio, breviter quidem; ſed ita eruditè ab iis tum propoſita, ut modeſto & ſedato ingenio ſatis potuiſſet facere: ſed quando animadverto, ſcrupulos adhuc ſupereſſe tum in explicatione ſententiæ noſtræ, tum Scripturæ & Antiquitatis quibuſdam locis, quæ Vir doctiſſimus publicæ expoſuit luci, totam primariæ controverſiæ retexemus telam, ita tamen, ut *diſceptationis* veſtigia religioſè ſimus obſervaturi, ne apicem quidem eorum, quæ ad præſentem rem fecerint, prætereuntes. *Altera* pars, quæ de fide tantùm & ſenſu quorundam allegatorum agit, adeóque *perſonalis* magis eſt, quàm *dogmatica*, ſuo etiam loco & tempore ſequetur. Viam hoc prodromo ſternimus, vadúmque tentamus; de cæteris Virum doctiſſimum, quem longiori, tam diu deſiderati reſponſi morâ mulctare inhumanum planè duximus, bene ſperare jubemus: quamvis & ex iis, quæ hinc inde ad poſterioris partis exceptiones reſpondemus, absq; negotio idē poſſit colligere, nihil prorſus habere inſtantias illas roboris, quod à ſententia nos noſtra avellere poſſit aut dimovere. Videbit enim doctiſſimus Vir, noſtram de Cœna Dominica ſen-

tentiam ſuffultam eſſe authoritate *Scripturæ*, ſuffragio *Antiquitatis*, & conſenſu ſanæ *Rationis*. Eam contrà, à quæ Eccleſiæ Romanæ placet, de Transſubſtantiatione, opinionem, & *Scripturæ* repugnare, & *Analogiæ fidei*, & *Antiquitati*, & ſobriæ *Rationi*; doctrinam deniq; incertam, & *ſcandali* ita eſſe plenam, ut nomen Chriſti, & Chriſtaniſmi ab infidelibus propterea indignè laceretur imò, blaſphemetur.

SECTIO II.

Occaſio diſceptationis de Euchariſtia Viri doctiſſimi.

Articulus I.

DE *Monacho*, qui (pertæſus illius vitæ, quam reformatam à multis voluiſſe ſeculis, ſcriptores in Eccleſia Romana graviſſimos, Vir doctiſſimus non ignorat) in noſtra tranſire voluit caſtra; adeóque occaſione hujus *συζητήσεως*, non eſt quod quidquam laborem. Nobis in eo nec ſeritur, nec metitur. Ipſe Domino ſuo ſtat, & cadit, cui etiam ſuo tempore adminiſtratæ villicationis reddet rationem; hoc tamen pia optem ſolicitudine, ut, miſſis factioſis, & ipſi Eccleſiæ Romanæ non uno modo fatalibus familiarum Monaſticarum nominibus (quod diſertè Apoſtolus, neq; ſibi, neque ulli ſancto permiſ-

miſſum voluit 1.*Cor*.3.)omnes pariter Chriſtiani Dei potiùs imitatores eſſe ſtuderent, *Eph*.5.1. quàm hominum. Una omnium Chriſtianorum eſt Aſcetica,vitáque religioſa,ad quam Servator blandiſſimè nos invitat, *Matth*.11.verſ.28.29. 30. *Venite*,inquit, *ad me omnes, qui fatigati eſtis,& onerati,& ego faciam ut requieſcatis: Tollite jugum meum ſuper vos,& diſcite à me, quòd mitis ſim & humilis corde,& invenietis requiem animabus veſtris; jugum enim meum facile eſt, & onus meum leve eſt*. Chriſti ergò potiùs crucem veram, quàm humana ſuperſtitione fictam aut pictam tollamus, *Marc*.8.34. *Hoc* enim *Canone*,hac regula,qui *incedunt,pax ſuper eos,& miſericordia,Gal.6.v.16*.Qui verò alienũ hîc ignem accendunt,*qui ore Deo appropinquant,labiis eum honorant,cor autem eorum procul abeſt,fruſtra illum colunt,doctrinas docentes,quæ ſunt mandata hominum*; Matth.15. 8.9. *Ligant onera gravia difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere*, Matth.23.verſ.4. *ſunt elementa Mundi* (Vitæ ratio,omnibus Mundi incolis, Judæis, Gentibus, Turcis, Perſis,Indis, Sinenſibus obvia) *quæ rationem quidem habent ſapientiæ in cultu voluntario,& ſubmiſſione animi, & in eo quòd corpori non parcunt,nec tamen ullius ſunt precii,quàm ad*

ea ſpectent, quibus farcitur caro, Col. 2. 23. Veram Aſceticam, vitam ſanctam, religioſam Reformatas Eccleſias ſeriò urgere, non tamen aliam, quàm quæ S. Scripturæ ſequatur cynoſuram, publicis illæ de Praxi pietatis ſcriptis, & ordinario Verbi Divini præconio haud obſcurè condefaciunt. Sed hæc obiter.

SECTIO III.

De Locutionibus Sacramentalibus.

I. Sed quid Tigurini per proſelytum? *Aſſerunt, panem eſſe corpus Chriſti, Vinum eſſe ſanguinem Chriſti, eodem modo, quo in reliquis Veteris & Novi Teſtamenti Sacramentis* Circumciſio eſt fœdus, *Gen.* 17. verſ. 13. Agnus eſt Tranſitus, *Exod.* 10. verſ. 11. & 27. Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis, *ad Tit.* cap. 3. v. 5. Cur verò aliter ſentiant, aut loquantur, quàm Scriptura? Fundi Theologici calamitas eſt, quòd hanc phraſium ſacramentalium ἀλληλεχίαν Eccleſia Romana non obſervârit. Neque verò Tigurini tantùm, ſed cæteri per Germaniam, Galliam, Poloniam, Angliam, Hungariam, Tranſylvaniam &c. totum quin imò orbem Reformati, conſtanter docent, in verbis inſtitutionis Cœnæ Dominicæ obſervari Tropum, Metonymiam, quâ, uſitatiſſimo Scripturæ ſtylo

ſtylo,ſigno tribuitur nomen rei ſignificatæ,tum alibi, tum præſertim in doctrina Sacramentorum.

II. Neque verò *nova* eſt hæc Eccleſiarum noſtrarum, de locutionibus Sacramentalibus, doctrina,in cerebro noſtro heri,aut nudius tertius nata; ſed à Chriſti Eccleſia inde à multis ſeculis religioſè retenta. Ne Anthropomorphitarum error & altas ageret radices,& præſidium quæreret in iis Scripturæ locis, quæ vel membra,vel affectiones,vel actiones etiam humanas Deo, qui Spiritus eſt, tribuunt; placuit veteribus generalem ſuis præſcribere Canonem; *Talia quidem de Deo dici humano more,intelligi vero modo ei convenienti.* Hoc ſepimento & vetus Synagoga Judaica,& Eccleſia Chriſtiana curioſa ingenia coërcuit. Eadem ratione, cùm obvia de Sacramentis exempla occurrerent, quæ, abſque abſurditate, propriè intelligi non poterant,regulas illi extruxerunt generales, quibus,imperitis præſertim,ratio & modus oſtenderetur ex myſteriis illis ſeſe extricandi. Unde axiomata generalia Patrum Latinorum & Græcorum,quæ omnino noſtra eſſe volumus,& à quibus ne latum quidem unguem recedimus. Inter Latinos excellit *Auguſtinus*,cujus axiomata generalia ſunt: *Sacramenta ſunt ſigna rerum aliud exiſtentia*,& *aliud ſignificantia*; Cont. Max. lib. 3.c.22.Suo

jam

jam tempore noſtram fortiter egit cauſam: *Ex hac autem ſimilitudine* (ita ille T. 11. Epiſt. 23. ad Bonifac.) *Sacramenta plerumque etiam ipſarum rerum* (i. e. ſymbola rei ſignificatæ) *nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt; ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt; Ita ſacramentum fidei* (baptiſmus) *fides eſt.* Idem libro quæſtion. in Levitic. cap. 57. *Solet res, quæ ſignificat, ejus rei nomine, quam ſignificat, nuncupari. Sicut ſcriptum eſt: Septem* ſpicæ, ſeptem anni ſunt. *Non enim dixit*, Septem annos ſignificant: *&*, Septem boves, ſeptem anni ſunt; *& multa hujusmodi. Hinc eſt, quod dictum eſt*; Petra erat Chriſtus. *Non enim, dixit*, Petra ſignificat Chriſtum, ſed *tanquam hoc eſſet, quod utique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem.* Nempe res Sacramenti Veteris & Novi Teſtamenti eſt eadem. *Delirant, qui putant, ſignis ſacramentiſque mutatis, etiam res ipſas eſſe diverſas, quas ritus Propheticus pronunciavit eſſe promiſſas, & quas ritus Evangelicus annunciavit impletas. -- Aliis myſteriorum ſignaculis, paſſio & reſurrectio Chriſti futura promiſſa eſt, aliis jam facta annunciatur.* Ita idem Auguſt. lib. 19. cont. Fauſt. cap. 16. Hactenus Auguſtinus. Sed neque *Græca* Eccleſiæ in univerſalis regulæ de locutionibus ſacramen-

mentalibus obſervatione, ſuum nobis denegant calculum. Et in ſpecie quidem de *Cœna Domini*, nomine Eccleſiæ Orthodoxæ *Theodoretus docet, Servatorem noſtrum nomina commutâſſe, & corpori quidem id, quod erat ſymboli, nomen impoſuiſſe: ſymbolo autem id; quod erat corporis: Ita cùm ſe vitem nominaviſſet, ſanguinem id, quod erat ſymbolum, appellâſſe. Symbola quæ videntur, appellatione corporis & ſanguinis honorâſſe.* Dial. 1. Sed de hoc *Theodoreti* textu ſuo loco plenius.

III. Aſſertionis autem hujus ſuæ fundamentum accerſunt Reformati à perpetua Spiritûs ſancti praxi & conſuetudine. Nullius enim Sacramenti Scriptura meminit, in quo hæc loquendi formula Metonymica non occurrat, idque ob ſequentes potiſſimùm rationes. 1. *Ob genium Linguæ Hebraicæ, & Syriacæ*, quarum utraq; Prophetis, Chriſto & Apoſtolis erat vernacula. Non amant vel Hebræi, vel Syri *ſignificandi* verba, quorum loco *pronomen demonſtrativum* frequentiſſimè, rariſſimè *verbum ſubſtantivum* adhibent, utrumque pro ratione circumſtantiarum vel propriè, vel impropriè explicandum. Et hoc contra illos monendum, qui ipſi Spiritui ſancto leges præſcripturi, quærere audent, cur *ſignificandi* vox, ad tollendam litem, non fuerit uſurpata? 2. Ut oſtenderetur diſcrimen inter panem cibarium communem, & Sacramentalem. 3. Ut hac

no-

nominum permutatione & Sacramentali locutione *ἀναλογία* ſigni & rei ſignatæ clariùs exprimeretur. *Si enim Sacramenta non haberent ſimilitudinem quandam earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, utiq; Sacramenta non eſſent*, ut loquitur Auguſtin. Epiſt. cit. ad Bonifac. 4. *Ad denotandam arctam inter ſignum & rem ſignatam*, in legitimo uſu, *conjunctionem*. Occurrere nempe cœleſtis Doctor voluit noſtræ infirmitati, ne elementorum externorum abjecta conditione offenſi, præceptum Dominicum in Sacramentorum vel adminiſtratione, vel participatione negligeremus. Poſtquam Naaman, ab Eliſæo ſeptem vicibus fuiſſet juſſus ſe lavare, abiit ille iratus, dicens: *En cogitabam apud me, egredietur egrediendo, & curabit leproſum. Nonne meliores ſunt Amanah, & Parpar fluvii Dammeſek omnibus aquis Iſraelis? Annon ſi lavero me in illis, mundus ero? Et converſus ibat cum ira*, 2. Reg. 5. 11. 12. Idem murmur ab indomita carne facilè fuiſſet metuendum (quæ, verbi gratia, vis abluendi peccata poſſet ineſſe aquæ elementari, aut ad nutritionem animæ pani aut vino?) niſi Dei firmiſſima per uſum ſymbolorum promiſſio acceſſiſſet. Ut Magiſtratus literis & ſigillis; Pater familiâs clavi, ad rei evidentiam & certitudinem, nomen rei per literas confirmatæ, aut per clavem ſignificatæ, imponit; *Hoc eſt*; oblatis literis, jus; illud con-

confirmantibus; *Ius Civitatis,hoc eſt feudum, hæc eſt poteſtas domeſtica:* (clara hæc ſunt,& quotidiano uſu trita,etſi adverſariorum cavillis imperitè nonnunquam exagitata) Eadem ratione Dominus Dominantium in ſacramentis, quæ ſigna ſunt & ſigilla gratiæ Divinæ,nomen rei ſignificatæ externis tribui voluit elementis. Nititur igitur Tigurinorum aſſertio immoto illo fundamento Dialectico,*dicto de omni*,quod non malè *regulativum* ab aliis,ob inſignem ejus uſum,vocatur. Quicquid omnibus Veteris & Novi Teſtamenti convenit Sacramentis, illud utique ſacramento Cœnæ Dominicæ non poteſt abjudicari. Atqui loquutiones illæ Metonymicæ,quibus ſigno imponitur nomen rei ſignatæ,omnibus communes ſunt Sacramentis. E. Cujus quidem argumenti vis hactenus ita ſtetit immota,ut in reliquis,præſertim V. T. Sacramentis, Tropologiam ſacramentalem facilè,illi etiam qui in Cœna Dominica literam urgent, admittant; in Cœna tantùm Domini vocent in dubium. Quod tamen revera aliud nihil eſt,quàm,conceſſis præmiſſis,ineptè negare concluſionem.

IV. Sed placet Viro Doctiſſimo ad reliquas primùm formulas V. T. Sacramentales quædam excipere,deinde Elenchum parium oſtendere.

Exceptio eſt: *Verba hæc*; Circumciſio eſt fœdus,

dus, Agnus eſt Tranſitus, *non legiuſpiam in Scriptura, ſed eò à Tigurinis compoſita eſſe, ut ſint conſimilia his apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Paulum*; Hoc eſt Corpus meum; *dein ſic argumententur*, &c. Vix à me impetro ut credam, doctiſſimum Virum ſeriò agere! Verba, *Circumciſio eſt fœdus*; *agnus eſt Tranſitus*, in S. Scriptura non extent? Extant tam clarè, & evidenter, quàm clarè bis bina ſunt quatuor; & quàm evidenter ex eo, quod Apoſtolus *Epheſ.* 1. 23. de Eccleſia ſcribit; *quæ eſt Corpus ipſius* (Chriſti) concludo; *Eccleſia eſt Corpus Chriſti*; non proprio & Grammatico, ſed figurato, & myſtico ſenſu. Non putem, doctiſſimum Virum ad eos nos revocaturum recentiorũ quorundam cancellos, qui nullam ex Scriptura argumentationem noſtratium ratam habere volunt, quàm quæ totidem exprimitur ſyllabis. Quaſi non alia in S. Scriptura occurrant κατὰ λέξιν, quoad *voces* & *verba*; alia κατὰ διάνοιαν, & quoad *ſenſum*. Majorem de doctiſſimo Viro mihi polliceor ingenuitatem, quàm à quo inſanum illud delirium *Methodiſtarum*, quos vocant, nobis ſit metuendum; majorem etiam in Eccleſiam Romanam reverentiam, quàm quæ permittat, intempeſtiva conſequentiarum proſcriptione, in dubium omnia vocari, pro quibus tamen Scholæ Pontificiæ acerrimè & acerbiſſimè, tanquam pro aris & focis, certant. Tolle enim

nim Scholis Pontificiis conſequentiarum ſubſidium, obtorto ſæpe collo raptum & invitum; & pleraque non Leiturgicæ modò, ſed & dogmaticæ Romaniſtarum Theologiæ capita ruinam minitabuntur. Sit igitur, verba; *Circumciſio eſt fœdus*; *Agnus eſt tranſitus*, totidem literis & ſyllabis non extare, probatu tamen proclive fuerit, hunc ſenſum, hanc mentem eſſe Spiritus Sancti, ut circumciſio nomen indueret fœderis, cùm ſignum tantùm fuiſſet fœderis; agnus Paſchalis vocaretur tranſitus, qui tamen ſignum ejus fuit & figura.

IV A. Ex Spiritûs ſancti mente & meta Circumciſionem *fœdus* vocari, cùm tamen *ſignum* tantùm fuerit *fœderis*, ſequentibus proponitur (*Geneſ.* 17. v. 13.) verbis: *Eritque fœdus meum in carne veſtra*. Quid, quæſo, illud eſt, quod *fœdus ſuum* vocat in carne? Utique aliud nihil, quàm Circumciſio in Iſraëlitarum carne conſpicua; prout v. 10. Jam præceſſit; *Hoc eſt fœdus meum, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Et verſ. 14. de neglectu circumciſionis, *Fœdus meum irritum fecit*. Neq; enim exiſtimo, quicquam aliud vel exterebrari poſſe. An ergo *Circumciſio* erat *fœdus* Dei? Negat ipſe Deus v. 11. ubi expreſſè hæc ceremonia appellatur *ſignum fœderis. Circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit in ſignum fœderis inter me & inter vos.*

dus, Agnus eſt Tranſitus, *non legiuſpiam in Scriptura, ſed eò à Tigurinis compoſita eſſe, ut ſint conſimilia his apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Paulum*; Hoc eſt Corpus meum; *dein' ſic argumententur*, &c. Vix à me impetro ut credam, doctiſſimum Virum ſeriò agere! Verba, *Circumciſio eſt fœdus*; *agnus eſt Tranſitus*, in S. Scriptura non extent? Extant tam clarè, & evidenter, quàm clarè bis bina ſunt quatuor; & quàm evidenter ex eo, quod Apoſtolus *Epheſ.* 1.23. de Eccleſia ſcribit; *quæ eſt Corpus ipſius* (Chriſti) concludo; *Eccleſia eſt Corpus Chriſti*; non proprio & Grammatico, ſed figurato, & myſtico ſenſu. Non putem, doctiſſimum Virum ad eos nos revocaturum recentiorū quorundam cancellos, qui nullam ex Scriptura argumentationem noſtratium ratam habere volunt, quàm quæ totidem exprimitur ſyllabis. Quaſi non alia in S. Scriptura occurrant κατὰ λέξιν, quoad *voces* & *verba*; alia κατὰ διάνοιαν, & quoad *ſenſum*. Majorem de doctiſſimo Viro mihi polliceor ingenuitatem, quàm à quo inſanum illud delirium *Methodiſtarum*, quos vocant, nobis ſit metuendum; majorem etiam in Eccleſiam Romanam reverentiam, quàm quæ permittat, intempeſtiva conſequentiarum proſcriptione, in dubium omnia vocari, pro quibus tamen Scholæ Pontificiæ acerrimè & acerbiſſimè, tanquam pro aris & focis, certant. Tolle enim

nim Scholis Pontificiis conſequentiarum ſubſidium, obtorto ſæpe collo raptum & invitum; & pleraque non Leiturgicæ modò, ſed & dogmaticæ Romaniſtarum Theologiæ capita ruinam minitabuntur. Sit igitur, verba; *Circumciſio eſt fœdus; Agnus eſt tranſitus*, totidem literis & ſyllabis non extare, probatu tamen proclive fuerit, hunc ſenſum, hanc mentem eſſe Spiritus Sancti, ut circumciſio nomen indueret fœderis, cùm ſignum tantùm fuiſſet fœderis; agnus Paſchalis vocaretur tranſitus, qui tamen ſignum ejus fuit & figura.

IV A. Ex Spiritûs ſancti mente & meta Circumciſionem *fœdus* vocari, cùm tamen *ſignum* tantùm fuerit *fœderis*, ſequentibus proponitur (*Geneſ.* 17. v. 13.) verbis: *Eritque fœdus meum in carne veſtra.* Quid, quæſo, illud eſt, quod *fœdus ſuum* vocat in carne? Utique aliud nihil, quàm Circumciſio in Iſraëlitarum carne conſpicua; prout v. 10. Jam præceſſit; *Hoc eſt fœdus meum, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Et verſ. 14. de neglectu circumciſionis, *Fœdus meum irritum fecit.* Neq; enim exiſtimo, quicquam aliud vel exterebrari poſſe. An ergo *Circumciſio* erat *fœdus* Dei? Negat ipſe Deus v. 11. ubi expreſſè hæc ceremonia appellatur *ſignum fœderis. Circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit in ſignum fœderis inter me & inter vos.*

Negat Apoſtolus Paulus; qui eandem circumciſionem vocat ſignum & *ſigillum*, *Rom*.4. 11. Obſtat ratio & inſtrumentum fœderis, v.7. expreſſum, *ſtabilio fœdus, me eſſe tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te*. Ergóne, Vir Doctiſſime, Scriptura nuſpiam vel dicit, vel ſentit (de ſenſu enim quæſtio eſt, non de verbis) Circumciſionem vocari fœdus? *Fœdus meum*, inquit, *erit in carne veſtra*. Quod autem illud in carne fœdus? Circumciſio utique. Atqui Circumciſio, ipſo Judice Spiritu ſancto, erat *ſignum* tantùm fœderis. Alium ſenſum ne fidiculæ quidem extorſerint. Eadem ratio eſt Paſchatis, *Exod*. 12. (capite enim decimo, quod allegatur, de inſtitutione agni Paſchalis, nondum eſt ſermo) v.11.27. ubi Legislator populo Iſraëlitico novum gratiæ ſuæ μνημόσυνον commendat, Agnum Paſchalem. Et poſtquam rationem mactandi & comedendi illius agni ad verſ. 12. excluſivè, Iſraëlitis præſcripſiſſet, nomen novo ritui imponit; *Hoc*, inquit, *ipſum* (ita verba Hebraica ſonant) *Paſcha*, i.e. ut Vulgatus vertit, *tranſitus Domini*. Quodnam *Hoc*? Illud ipſum nempe, cujus in immediatè præcedentibus fit mentio; *agnus Paſchalis*. *Agnum* ergò vocat *Tranſitum*; de hoc enim & non alio ſermonem eſſe probatur, 1. Expreſſis textûs verbis. *Hoc ipſum* (Hu) quod modò præceſſit, & cujus Inſtitutionem Deus populo Iſraëlitico com-

commendavit: Huic ipſe Deus Tranſitûs imponit nomen, non utique propriè (id enim ne ipſe quidem Vir Doctiſſimus poterat capere, ut poſtea audiemus) ſed Metonymicè. 2. Continua Eccleſiæ Judaicæ praxi, cui uſitatiſſimæ olim erant phraſes, *facere Paſcha*, Num. 9. 2. Faciant filii Iſraëlis Paſcha in tempore ſuo. verſ. 4 ut facerent Paſcha. v. 5. Fecerunt Paſcha, *Joſ.* 5. v. 10. Quid? an Paſcha i.e. *tranſitus* quotannis faciendus erat Iſraëlitis, quem ſemel tantùm facere debebat Angelus perditor? Non: *Agnus* Paſchalis, tranſitûs *μνημόσυνον*, uno quoque anno erat mactandus. Unde & *Paſcha mactare* dicebantur conſtanter Judæi, *Deut.* 16. 5. 6 c. 30. v. 15. c. 35. 1. 6. 11, & alibi. Ne deinceps quidem hæc phraſeologia Judæis *χυϱιοκτόνοις*, adeóque recentioribus, diſplicuit. Nihil in ſcriptis eorum Leiturgicis uſitatius, quàm, nomine *Paſchatis*, vel totam intelligere feſti illius ſolennitatem, vel agnum tantùm paſchalem, utrumque figuratè ſeu Tropicè. Hinc *Paſcha primum*, ordinarium ſcilicet & ſolenne, ex Legis præſcripto ad diem 15. Martii celebrandum; & *ſecundum*, aliâs *Paſcha parvum*, quod ex Rabbin. ſtatutis, in menſem rejectum April, unum tantùm duravit diem. Nemini profectò in mentem unquam veniſſet, *Paſchatis* nomine quicquam aliud intelligendum, quàm vel *agnum* Paſchalem, ubi *parandi*, *mactandi*,

manducandi adhibentur vocabula ; vel *integram ſolennitatem*,quorum utrumque μνημόσυνον,ſymbolum & typus eſſe debebat,ipſo Interprete Spiritu ſancto verſ. 13. cap. 12. *Exod.* Accedit 3. optimus verborum Moſaicorum interpres, ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus in N. T. qui ritus,& notas phraſes,*parare Paſcha*,Luc. 22. verſ. 8. 12. 13. *mactare Paſcha* verſ. 7. *Edere Paſcha* verſ. 11. 15. & ipſe retinuit,& à diſcipulis ſuis retineri voluit. His autem exemplis quid ad probandam Metonymiam ſacramentalem clarius,quid diſertius? Aliud utique *agnus* eſt,aliud *tranſitus*. Hic *mactari, manducari* non poterat ; *mactari* tamen & *manducari* ubique dicitur,quia Sacramentali locutione ei,ceu rei ſignificatæ,tribuitur,quod ſigno tranſitûs, Agno nempe,competebat.

SECTIO IV.

De Identitate Phraſium Sacramentalium.

1. Palàm fecimus,agnoſcere Eccleſiam Catholicam Phraſeologiam Sacramentalem, qua *Sacramenta nomina habent earum rerum,quas ſignificant*, ut Cyprianus locutus eſt, ſerm. de Chriſm. & poſt eum Auguſtinus ; vel,ut Theodoretus loqui maluit,*ſymbola appellatione corpo-*

poris & ſanguinis honorantur. Gratis ergò fingitur, has loquendi formulas *eò* à *Tigurinis compoſitas, ut conſimiles ſint his apud Evangeliſtas & Paulum*; Hoc eſt corpus meum; *dum ſic argumententur*, &c. Sobria eſt, ſpontéque fluit hæc illatio: *In Sacramentis V.T. Circumciſione & Agno Paſchali, ſummus Legislator loquendi formulas adhibuit Metonymicas, quibus nomen ſigni accipit axioma rei ſignificatæ, & vice verſa. Nihil ergo eſt abſurdi, nihil novi, nulla Tigurinorum maligna compoſitio, ſi eandem loquendi rationem in N. T. Sacramentis oſtendant.* Parium enim par eſt ratio. Neque, quantum ad ſtylum & loquendi formulas, ulla hactenus diſparitatis umbra oſtendi potuit: Imò, contrà, Sacramenta V. & N. T. eſſe homogenea, & ejuſdem planè conditionis, docet Apoſtolus, 1. *Cor.* 10. 1. 2. 3.

II. *Sed de Circumciſione*; pergit vir doctiſſimus; *& Agno clarum eſt in Scriptura, ſigna eſſe fœderis & Tranſitûs. Ergo* Hoc, *ſeu Euchariſtia (quam purum putum panem eſſe ajunt) nihil aliud item eſt, quàm ſignum Corporis Chriſti: Ita ut hæc tria loca ſic explicari debeant*, Circumciſio ſignificat fœdus, Agnus ſignificat Tranſitum, hoc ſignificat corpus meum; *útque adeò Verbum EST, in his tribus locis, uſurpetur pro SIGNIFICAT.* Reſp. In Geneſi *Circumciſionem*, in Exodo verò *Agnum*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Paſchalem vocari ſignum fœderis, impenſè nobis gratulamur. Ita enim novitatis probrum, Reformatoribus noſtris odioſè impactum, feliciter abſtergitur, quando & illi, exemplo & authoritate Scripturæ, loquendi formulas ſacramentales *improprias*, in *proprias* reſolverunt. Concedimus ergò 1. Utrumque Sacramentum; *Circumciſionem* & *Agnum Paſchalem*; ſigna eſſe fœderis, non ipſum fœdus. 2. Adeóque & de illis, & de Pane Euchariſtico enunciatum verbum ſubſtantivum *EST*, per *ſignificat*, exponendum. Ad eandem enim ſemper paritatis recurrimus legem. 3. Malè tamen pronomen *Hoc*, quod *panem* notat, cum ipſa *Euchariſtia* confunditur. *Illud* enim alterum tantùm Cœnæ Dominicæ ſymbolum; *hæc* integrum notat Sacramentum, ſignum, & rem ſignatam; rem terreſtrem & cœleſtem. 4. Invidioſè autem Eccleſiis Reformatis impingitur, quaſi Euchariſtiam *purum putum panem* dicerent. De ipſa Euchariſtia cum *Irenæo* libenter loquimur, *duabus eam conſtare rebus, terrena*, pane videlicet & vino, *& cœleſti*, corpore nimirum & ſanguine Chriſti. *Adverſus* Hær. l.4.c.34. Aliud ergo eſt loqui de ſignificatione particulæ *Hoc*, in verbis, *Hoc eſt corpus meum*; aliud de tota Euchariſtia. *Illud* utique aliud notare nihil poteſt, quàm *panem*. *Panem* enim Chriſtus accepit, panem fregit, panem diſcipulis dedit, & de

eo-

eodem, pronomine *Hoc* indicato, comedere juſſit. *Hanc* verò Reformati conſtanter negârunt, negant etiamnum eorum Catechiſmi, Confeſſiones, ſcripta Symbolica, & Elenctica, *purum eſſe panem.* Cùm Reformatore Zuinglio, *Chriſtum verè eſſe in Cœna* docemus, *imò non credimus eſſe cœnam, niſi Chriſtus adſit.* Expoſit. fid. à ſe prædicat. *Abſurditatibus ſublatis, quicquid ad exprimendam veram ſubſtantialem corporis & ſanguinis Dominici communicationem, qua ſub ſacra Cœna ſymbolis fidelibus exhibetur, facere poteſt, libenter cum* Calvino recipimus; Inſtit. lib. 4. cap. 7. §. 19. Num quid aut religioſius, aut devotius, aut tanto myſterio dignius expectari poſſet, quàm quod publico ſuo conſenſu teſtatæ ſunt Eccleſia Tigurina, & Genevenſis? *Communicari* inquiunt, *nobis Chriſti corpus & ſanguinem, nullus noſtrûm negat. Qualis autem ſit corporis & ſanguinis Domini communicatio, quæritur. Carnalem iſti palàm & ſimpliciter aſſerere quomodo audeant, miror. Spiritualem cùm dicimus, fremunt, quaſi hac voce realem, ut vulgò loquuntur, tollamus. Nos verò, ſi reale pro vero accipiant, & fallaci vel imaginario opponant, barbarè loqui mallemus, quàm pugnis materiam præbere. Placidis & moderatis hoc teſtatum volo; ita ſecundùm nos ſpiritualem eſſe communicationis modum, ut re ipſa Chriſto fruamur.*

mur; Ita Calvin. in expoſit. Capitum Conſenſ. cum Tigurin. Et alibi: *Dicimus Chriſtum tam externo ſymbolo, quàm Spiritu ſuo ad nos deſcendere, ut verè ſubſtantia carnis ſua, & ſanguinis ſui animas noſtras vivificet*; Inſtit. lib. 4. cap. 17. S. 24. Quin imò, Catechumeni noſtri figmentum de nudis ſignis feliciter ſatis elidunt. Ita enim, ex *Catecheſi Tigurina*, interrogati, reſpondere didicerunt: *Cuilibet noſtrûm in S. Cœna edendum & bibendum exhibetur non tantùm ſacer panis & vinum, quod ore corporis edimus & bibimus, ſed etiam verum corpus & fuſus ſanguis Chriſti, atque adeò Chriſtus Ieſus ipſe, una cum pretioſo ſuo merito, & omnibus cœleſtibus theſauris, quos nobis vi N.T. acquiſivit, & quibus fide, ore videlicet animæ, vivimus & fruimur ad vitam æternam.* Num hæc, abſurdam de puro, pane, adeóque vacuis & inanibus ſymbolis ſacramentalibus, Eccleſiis Reformatis tributam opinionem, non ſatis diluunt? Spero, Virum Doctiſſimum, prò candore ſuo, aliter de nobis in poſterum ſenſurum, ſcriptíſq; ſymbolicis majorem, quàm putridis aliorum calumniis, fidem adhibiturum. Nullam enim, ingenuè fatemur, ægriùs Eccleſiæ noſtræ ferunt injuriam, quàm qua *purus putus panis* Sacro-ſanctæ Domini Cœnæ ab iis adminiſtratæ relinquitur. Rogamus ergo, ut ne deinceps hanc nobis inſulſam reponant Crambem,

qui

quicunque de Euchariſtia nobiſcum agere volunt. 4. Quòd Vir Doctiſſimus ſubjungit; *Pronomen Hoc, æquipollere Euchariſtiæ*, ambiguum eſt. Si de *pane Euchariſtico*, Vir Doctiſſimus, illud intelligat, res erit in vado, & ſic, quod volumus, *Hoc* notabit *panem*. Si verò *ipſum* intelligat *corpus Chriſti*, cum aliis fidei ſuæ conſecraneis tranſigat, qui hoc illi dare non poſſunt, niſi & ſimul concedant, panem, ante conſecrationem, eſſe transſubſtantiatum. Quod quàm non placeat pluribus Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, Vir Doctiſſimus ignorare non poteſt. Nos illam jam Camarinam non movebimus, quàm nihil certi habeat Eccleſia Romana, in pronominis hujus ſenſu, & quàm longis à ſe invicem Scholaſtici in explicatione ejus abeant paſſibus. Diſſenſum Theologorum hoc loco obiter monere, quàm multas de eo, quòd facile nobis eſſet, & ab aliis jam operoſè eſt demonſtratum, implere chartas, conſultius duximus. Satis ſit, Pronomine *Hoc*, Euchariſtiam, i.e. *Corpus Chriſti jam transſubſtantiatum*, ſalvo Eccleſiæ Romanæ judicio, notari non poſſe; ſoláſque de Pronomine *Hoc* Scholaſticorum diſceptationes adeò violentas eſſe, caliginoſas, tortuoſas, perplexas & lubricas, ut Doctiſſimi Viri Conſcientiæ relinquam, an in tanto ſententiarum divortio, vel ſibi, vel aliis hactenus potuerit ſatisfacere. Qua de re poſtea.

III. Sed duo, Vir Doctiſſimus, in hac argumentatione & Comparatione noſtra deſiderat. 1. *Neceſſum eſſe, hæc verba, Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt Tranſitus, reperiri in Scriptura, ſicut illa,* Hoc eſt corpus meum, *ter in Evangelio, & ſemel apud Paulum legantur.* Atqui ſupra jam demonſtravimus, utrumque aſſerere Spiritum ſanctum, &, *Circumciſionem eſſe fœdus*; & *agnum eſſe tranſitum*, idque iisdem planè formulis, eâdem Metonymiâ, quibus ab Evangeliſtis & Paulo *panis* vocatur *corpus.* זאת *Zoth*, Hoc, hic ritus, ceremonia (nempe ut circumcidatur vobis omnis maſculus, uno verbo, *circumciſio*) *fœdus meum*, Geneſ. 17. verſ. 10. פסח הוא *Peſach hu*, Hoc ipſum (agnus nempe *mactandus*, &, juxta præſcriptos ritus, *manducandus*) *eſt Tranſitus.* Judicet, quiſquis exercitatos, quos à Chriſtiano Paulus requirit, habet ſenſus, an quicquam clarius proponi poſſit, tum ad evincendum, Scripturam *Circumciſionem* vocare *fœdus, agnum Tranſitum*, tum etiam, ad phraſeologiæ demonſtrandam Identitatem & æquipollentiam? Adeò ut mirari ſubeat, illud in Controverſiam verti, quod vel communis hic dictat ſenſus, & mediocris Tropologiæ notitia ſine negotio expedit. Qui in totam Theologiam pariter & Philoſophiam, Gratiam & Naturam arietare malunt, quàm unius ejúſque uſitatiſſimi Tropi conceſſione diuturnæ &

pe-

periculoſæ liti colophonem imponere, oſtendunt, nondum ſe didiciſſe ſpiritualia ſpiritualibus, ſimilia ſimilibus aptare, 1. *Cor.* 2.13.2.

IV. Sed *oporteret, ut in eadem Scriptura, aut Evangelio* (inquit Vir Doctiſſimus) *de Euchariſtia, quam habebat Chriſtus præ manibus, poſtquam dixit,* Hoc eſt corpus meum, *diceretur,* id eſſe ſignum Corporis ejus, *quod & non dicitur uſpiam, in S. Scriptura aut Evangelio, quemadmodum de Circumciſione & Agno, hac eſſe ſigna fœderis & Tranſitûs.* Reſp. 1. Aliam *Euchariſtiam* præ manibus Chriſtum habuiſſe, cùm diceret; *Hoc eſt corpus meum,* quàm *panem* conſecratum, neque ex Scriptura, neque ex Evangelio agnoſcimus. *Panem* vocant omnes Evangeliſtæ. *Panem* Apoſtolus Paulus, tam ante quàm poſt conſecrationem. *Panis,* inquit, *quem frangimus, eſt communio Corporis Chriſti,* 1. Cor. 10.16. *Omnes ſumus unus panis, & unum corpus, qui de uno pane participamus,* v. 17. *Quotiescunque manducabitis hunc panem,* 1. Cor. 11.26. *Quicunque manducaverit hunc panem, & biberit hoc poculum* 27. *Probet ſeipſum homo, & ita de pane illo edat, & de poculo bibat,* v. 28. Màgna & conſtans Interpretis Apoſtolici fides! Ne vel infideles craſſa, adeóque Capernaitica manducatione Carnis Chriſti offenderentur, vel fideles etiam, literæ moroſiùs inſiſtentes, in verbis inſti-

ſtitutionis hærerent, Apoſtolus unius propoſitionis *impropria* & Metonymicæ ſenſum verum & genuinum quinquẽ diſtinctis vicibus propriè proponit.

V. *Nuſpiam tamen*, inquit, Vir Doctiſſimus *propoſitio*, Hoc eſt Corpus, *per æquipollentem*, Hoc eſt ſignum Corporis mei, *exprimitur*? Reſp. 1. Non erat neceſſe. Sexcentæ in ſacris literis ſunt parabolæ, & figuratæ locutiones, quæ in proprias nunquam leguntur reſolutæ; de his tamen nullum periculum, cur ergò hoc loco Spiritui ſancto figamus legem? Quid, quòd ipſa experientia ejusmodi Interpretis beneficium reſpuit? In re nummaria nihil notius eſt, quàm, ſine æquipollenti explicatione, *Adrianum, Trajanum, Conſtantinum*, appellare numiſmata, quæ Imperatores modò memoratos referunt, aut repræſentant. Ne ruſtici quidem vel Galli, vel Helvetii, cùm *Ludovici*, qui vulgò vocantur, ſive aurei ſive argentei oſtenduntur, œdipo habent opus, non ipſum eſſe Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, ſed imaginem tantùm ejus. Uſu didicerunt de ejusmodi judicare loquendi formulis, abſque Interprete. Ita in re ſacramentaria formulæ apud Judæos, uſitatæ æquipollentiam nullam exigebant. Sacramentum ergò Chriſtus cùm inſtituerit; Sacramentalem etiam loquutionem retinere commodè potuit, quam diſcipuli, ſine

dif-

difficultate, aut ſcrupulo (qui proinde eximendus non erat) intellexerunt. Scholæ Judaicæ trita & obvia erat phraſis, qua agnum Paſchalem גופו של פסח *gupho ſchal paſach*, corpus Paſchatis, i. e. Tranſitûs, appellârunt; Sacramentaliter & Metonymicè, pro *corpore agni*, qui Paſchatis fuit *μνημόσυνον*, ſeu memoraculum. Hac Judæorum phraſi nemo, adeóque neque diſcipuli Chriſti offendebantur: Et tamen extra controverſiam omnes ponebant, *Agni* corpus, non *Tranſitûs* corpus eſſe; ſed ſignum *Tranſitûs*. 2. Lingua Syriaca rariſſimè *ſigni* vel *ſignificandi* verbum, in iis propoſitionibus, ubi Prædicatum de Subjecto impropriè enuntiatur, adhibet, ne in promiſcuo quidem loquendi uſu, ſed vel verbum ſubſtantivum איח *Ith*, *Eſt* vel Pronomen הנו *Honau*, *hoc ipſum*: Quid ergò neceſſe erat, in re Sacramentaria; ubi ex Judæorum conſuetudine, Tropologia fuit trita; lumen adhiberi vel æquipollentiæ, vel explicationis? 3. Omnino ſacra Scriptura ſatis indicat manifeſtè, phraſin, *Hoc eſt corpus meum*, alteri, *Hoc eſt ſignum corporis mei*, æquipollere, tum 1. quia ipſe Spiritus ſanctus alibi, imò ferè ubique; ubi videlicet de Sacramentis loquitur; phraſin impropriam per propriam explicat. Exempla de circumciſione, Paſchate ſuprà à nobis ſunt allata. Parium autem par nobis ſemper manebit ratio: Tum 2. quia conſtanter Chri-

ſtus

ſtus *panem* vocat *corpus*: Atqui *Panis*, propriè, nunquam eſt *Corpus*. *Panis* & *Corpus* ſunt diſparata, quæ de ſe invicem affirmativè non poſſunt enunciari: Aut ergo falſa erit Propoſitio, quod impium & blaſphemum eſt; aut Tropica; quod & verum, & in Sacramentis cumprimis uſitatum: Tum 3. quia Paulus *panem* communionem vocat corporis Chriſti. Jam verò aliud eſt *corpus* ipſum, aliud *communio corporis*. Nihil enim ſui ipſius communio eſſe poteſt, ut nullum relatum ſuum ipſius eſt correlatum. Etſi ergo, non totidem apicibus, *panis* vocetur *ſignum corporis* Chriſti, neceſſaria tamen & inevitabili conſequentiâ, aut panis *ipſum* erit *Corpus*; quod τὸ ῥητὸν exigeret, naturæ autem rei repugnat, & ſcheſi, in qua de ſe prædicantur diſparata; aut *ſignum* tantùm ejus, quod Sacramenti conditio flagitat.

SECTIO V.

Non eſt Zuinglii Commentum, *Eſt*, poni, pro *ſignificat*.

1. Non ergo, quando Zuinglius verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, Tropicè; *Eſt*, per *ſignificat*, explicuit; *commentum fuit*, quo *Tigurinos ab Eccleſia ſententia de Euchariſtia abduxit*. Hoc doctiſſimo Viro, quod cum cæteris

ris

ris fidei ſociis commune habere placuit convitium, libenter donabimus, modò juſtæ & moderatæ Apologiæ locum heic cedat. Eandem enim Zuinglium cum vetuſtiſſimis Eccleſiæ Græcæ & Latinæ Patribus defendiſſe ſententiam, ipſe jam, cum ſuperſtiti idem objiceretur novitatis pruritus, prolixè aſſeruit. Commendamus, brevitatis cauſa, Viro Doctiſſimo Zuinglii *ſubſidium, ſive Coronidem de Euchariſtia*; *Planam & brevem Inſtitutionem de Cœna Domini, qua* remotione falſarum & poſitione veræ ſententiæ conſtat; *Epiſtolas item* quaſdam & ſcripta *Polemica contra Lutherum*, quæ omnia Oper. T. II. ordine exhibentur. Videbit, ut ſpero, non illotis ad hæc ſacra manibus, nec imparatum Zuinglium acceſſiſſe. Præmeditata omnia fuiſſe, Scripturæ authoritate munita, & veterum etiam exemplo confirmata. Illud tamen diſſimulare nolumus, Zuinglium in ſententia ſua, maſculè jam antea defenſa, multum fuiſſe confirmatum, poſtquam, ex collatione locorum parallelorum, animadvertiſſet, nihil planè ſuæ explicationi repugnare, ne phraſes quidem Sacramentales Teſtamenti Veteris. *Agnum* vocari *tranſitum*, cùm ſignum eſſet tranſitûs; nullum ergo novitatis probrum extimeſcendum, ſi & ipſe de ſimilibus ſimiliter judicaret. Ita ſenſit Zuinglius, ita ante eum, ita poſt eum Viri de Eccleſia Chriſti præclarè me-

meriti. Conſenſum Phraſeologiæ, quæ toties Zuinglio tanquam nova & conficta exprobata erat, non denegat vetuſtiſſima Eccleſia *Latina.* Ita enim *Tertullianus: Chriſtus acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt,* corpus meum dicendo, *id eſt,* figura corporis mei. Adverſ. Marc. l. 4. cap. 40. Ambroſius: *Vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, vera ergo carnis illius* Sacramentum *eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus;* Hoc eſt corpus meum. *Ante benedictionem Verborum Cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti* ſignificatur. Lib. de initiand. c. 9. Et *alibi; Dicit,* inquit, *Sacerdos, fac nobis hanc oblationem adſcriptam rationabilem, acceptabilem: quod fit in* figuram corporis & ſanguinis *Domini noſtri Jeſu Chriſti:* Lib. 4. de Sacram. cap. 5. *Auguſtinus* agmen claudat inter Latinos (neque enim de numero heic ſoliciti ſumus) cujus verba ſunt diſerta: *Non enim Dominus dubitavit dicere,* Hoc eſt Corpus meum, *cum* ſignum daret *corporis ſui.* Cont. Adim. cap. 12. Et iterum: *Judam adhibuit ad convivium, in quo* corporis & ſanguinis ſui figuram *diſcipulis commendavit & tradidit.* Argum. ſeu Præfat. in Pſalm. 3. Sed & aſſenſum præbet *Græca* Eccleſia. *Euſebius,* Cæſarienſis Epiſcopus, totus noſter eſt; Modò enim ait, Chriſtum uſum pane,

ne, tanquam *ſymbolo* proprii corporis, modò *ſymbola* Divinæ diſpenſationis diſcipulis ſuis tradidiſſe, *imaginem* proprii ſui corporis facere juſſiſſe : Modò *memoriam* nobis tradidiſſe loco ſacrificii, Deo jugiter offerendam. Opponit memoriam ſacrificio. Inſpiciatur Demonſtrat. Evangel. l. 8. c. 1. & lib. 1. c. ult. *Gregorius Nazianzenus*, etiam poſt conſecrationem, elementa, panem & vinum, ſemel atque iterum vocat ἀντίτυπα; videat. *Oration.* 1. *Apologet.* & *orat.* 2. quam fecit funebrem in laudem defunctæ ſororis ſuæ Gorgoniæ. *Chryſoſtomus* Homil. 82. in Matth. Homil. 17. in Epiſt. ad Hebr. voces τύπε, ſυμβόλων, ἀναμνήσεως frequenter adhibet. Ubi notandum, veteres inter τύπον & ἀντίτυπον diſcrimen nullum agnoſcere; neque etiam agnoſci ullum poſſe, niſi quòd τύπος ſit rei futuræ pariter & præteritæ, ἀντίτυπον ferè præteritæ. Ita aqua diluvii recte vocari poteſt Baptiſmi τύπος, ut Baptiſmus aquæ ἀντίτυπον, 1. *Pet.* 3. 21. Ita & *ſymbolum* nunquam uſurpatur niſi de ſigno rei, quæ eſt aut fuit, non futuræ. *Theodoretus* citra ambages nomine Eccleſiæ Orthodoxæ profitetur; *In myſteriorum traditione Dominum panem appellâſſe corpus, & ſanguinem id, quod in calice infuſum, & commixtum erat.* Item, *ſymbola quæ videntur, appellatione corporis & ſanguinis honorâſſe. Sacramentum Euchariſtiæ eſſe* imaginem, *corpus*

autem & ſanguinem Domini imaginis *hujus ἀρχέτυπον* Dial. 1. & 2. Zuinglii ergo commentum fuerit, quod Veterum adeò pleno confirmari poteſt ſuffragio?

II. Mirum igitur *meritò videatur*, Virum doctiſſimum adduci non poſſe *ut credat, in locis ex Geneſi & Exodo adductis, ſententiam Scripturæ eſſe*, Circumciſionem eſſe fœdus, aut agnum eſſe tranſitum &c. cùm nullus, quod confidenter dicimus, alius erui poſſit ſenſus, qui vel ſcopo dicentis, vel materiæ ſubjectæ, vel Patrum explicationi rectiùs conveniat. Hanc obſervo lucem ex Pontificiis Commentatoribus non paucos, nec ſine cauſa, metuiſſe. Certe *Cornelius à lapide, Emanuel Sa, Iohannes Mariana*, ſilentio ea omnia, quæ in *Geneſi* & *Exodo* de locutionibus iſtis Sacramentalibus habentur, maluerunt involvere, quàm perſpicuum & ſponte fluentem ſenſum in controverſiam vocare, adeóque notoria *ἀμετρίας τῆς ἀνθολκῆς*, quam Veteres appellant, peccare. Sed quia de his in ſequentibus plenior diſſerendi patebit campus, pedem ad illa paulatim moveamus.

III. Eccur Verbum *Eſt* pro *ſignificat* adhiberi, vel nos fluctuemus, vel vobis, Vir Doctiſſime, *adverſarij* videamur? Quomodo, quæſo, ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni, *Geneſ.* 41. 27. Septem capita, ſeptem montes, *Apoc.* 17. 17. Decem cornua, decem reges v. 12. niſi ſi-

ſignificativè? Addantur Deut. 22. 15. *Ezech.* 37. 11. *Dan.* 2. 38. & 4. 20. 22. cap. 7. 17. 24. c. 8. 20. 21. 22. *Matth.* 13. verſ. 37. 38. 39. *Luc.* 8. 11. *Ioh.* 10. 7. & 11. 1. *Gal.* 4. verſ. 24. In illis præſertim locutionibus, quæ typicæ ſunt, Sacramentales &c. ut jam monuimus, nihil frequentius. Ita ſacrificia vocantur peccata, *Hoſ.* 4. 8. coll. 2. *Cor.* 5. 21. Sanguis vitulorum & Hircorum ſanguis fœderis, *Heb.* 6. 20. *Exod.* 24. 8. Baptiſmus mors & ſepultura, *Rom.* 6. 4. *Coloſſ.* 2. 12. de reliquis ſupra jam eſt actum. Unde igitur *Adverſariorum* nomen in tam amico, quem exſpectamus, conſenſu? Hæc, pluráque alia, pro nobis, exempla omnia militant. Univerſa Scripturæ Phraſeologia Sacramentalis noſtra eſt. Unico contra, quod feriò rogamus, Vir doctiſſimus Scripturæ probet documento, verbum *Eſt*, copulativè ſive conjunctivè ſumtum, idem ſignificare, quod *Tranſubſtantiari, in aliam mutari ſubſtantiam*, & ita quidem, ut deſtructo ſubjecto remaneant Accidentia? Non diſſimulabo; ut de integritate cauſæ noſtræ conſtet; eſſe, non *Adverſarios* tantùm (prout memini, Arauſioni aliquando Capucinum Linguæ Hebrææ non mediocriter peritum, multum ſibi fuiſſe blanditum in locis, quæ mox exprimemus) ſed & ex noſtris Theologis reperiri, qui ad textum *Exod.* 3. v. 3. 4. cap. 7. 9. 10. 12. 15. & cap. 8. 16. notet, *Eſſe*

ibi poni pro *converti*, quod tamen nos nunquam dabimus, neque; propter manifeſtum Elenchum parium, dare poſſumus. Ne unicus quidem citatorum locorum eſt, in quo ſubſtantivum *Eſt* ponatur abſolutè; ſed cum particula inſeparabili *Lamed*; quæ ſignificationis aliam prorſus induit naturam. Unde non dicitur, *Virga fuit ſerpens*, ſed *in ſerpentem*; *pulvis in pediculos* &c. quod quantum differat ab altera phraſi controverſa, *Hoc eſt corpus meum*, illi non ignorant, qui vel inter apia Hebraiſmi verſantur. Eadem planè ratio eſt reliquorum locorum in quibus *Eſt* pro *fieri* vel *effici*, poni, etiam ex noſtratibus nonnulli obſervant, ut *Gen*. 17. 16. *Exod*. 9. 9. *Num*. 33. 55. *Iud*. 11. 8. *Pſalm*. 31. 3. *Pſalm*. 71. 3. *Ieſ*. 7. 23. *Ierem*. 47. verſ. 2. *Matth*. 19. 6. *Luc*. 3. 5. In quibus omnibus locis, ſemper phraſis Hebraica *eſſe in gentem*, *in pulverem*, *in ſpinas* &c. vel ſucceſſionem, vel ſtatum & conditionem, vel transſubſtantiationem notat, ſed adeò diverſa loquendi formula, ut tutò poſtulatum meum repetere liceat, ne unicum, Virum Doctiſſimum, monſtraturum locum ubi *Eſſe*, abſolutè poſitum idem ſignificet, quod *fieri* vel *mutari*. Quid autem ſit in re tam ſublimi, myſteriiſque plena, à recepta Scripturæ phraſi & ſententia recedere, novam, eámque violentam, multiſque abſurdi-

di-

ditatibus involutam cudere,id verò Doctiſſimi Viri religioſo conſcientiæ examini relinquo.

IV. Loci Apoſtolici 1. *Cor*.cap. 10.verſ.4. *Petra autem erat Chriſtus*, Vir Doctiſſimus priori ſuo ad Tigurinos reſponſo non meminit; jam demum hac Editione acceſſit,ſed ſine magno Auctoris commodo. Nec dum Tigurinos pœnitet,indicâſſe,verbum *Erat* hoc loco uſurpari pro *ſignificabat*; adeóque cum verbis inſtitutionis contuliſſe. Apoſtolus enim (Corinthiis ſuis probaturus,etiam Patres in Veteri Teſtamento Spiritualem habuiſſe eſcam & potum, adeóque medullam & nucleum Sacramentorum,) utriuſque meminit Sacramenti, Baptiſmi & Euchariſtiæ.De Euchariſtia loquitur v. 3.& primo quidem de pane; *omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe*,Chriſtum videlicet,per Manna ſacramentaliter præfiguratum; poſtea etiam v. 4 de potu: *Et omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe*.bibiſſe enim ex ſequenti ſpirituali Petra, quæ Petra fuerit Chriſtus. Quomodo Chriſtus erat Petra? Utique non propriè; ſed *ſacramentaliter*, & *ſignificativè*,ut ipſe explicat Auguſtinus contra *Adverſarium Legis* lib. 2. cap. 6. & *Epiſt*. 102. Et lib. 4.de doctrina Chriſtiana cap. 21.expreſſe ſcribit,*Petram illam typum habuiſſe corporis Chriſti*. Expreſſiſſimè lib. Quæſtion. in Levit.c.57.quem ſupra jam citavimus.

V. *Sed Petra, quam percuſſit Moſes in deſerto, ſignificavit, non fuit Chriſtus*; pergit vir doctiſſimus. Non contradicimus, quod Auguſtini modò authoritate ſtabilivimus. *De hac autem non dixit Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus, ſed de Petra ſpirituali, conſequente Iſraëlitas, quæ verè erat Chriſtus.* Inanis cavillatio, ex Bellarmino mutuata lib. 1. de Eucharistia cap. 9. ſſ. *Iam quod attinet.* Bibebant Iſraëlitæ ex Petra, ut legere, eſt, *Exod.* 17. 6. *Num.* 20. 10. & 21. 16. hanc (quod ſatis eſt manifeſtum, tum ex articulo Græco ἡ δὲ πέτρα, *hac autem*, cujus modò meminerat, *Petra*; tum ex eo, quòd omnes de ea dicuntur bibiſſe, v. 4. de Chriſto autem, Spirituali Petra, non omnes biberunt; tum denique, quòd Chriſtus Iſraëlitas non fuit ſecutus ut comes itineris; ſed præceſſit ut dux viæ; *Exod.* 23. 20, 23.) Apoſtolus vocat Spiritualem, *non per ſubſtantiam*, ut Auguſtinus loquitur, ſed *per ſignificationem*, quia uſum habuit Sacramentalem: Typus enim erat venturi Meſſiæ, ut ex Auguſtino didicimus, qui Meſſias vera erat Petra, imò aqua illa viva, de qua ipſe Servator, *Ioh.* c. 4. 14. Sit ergò, quò ad rem & ſubſtantiam, ut revera eſt, alia hæc Petra Chriſtus, ab illa Moſaica; ſit Chriſtus Petra Spiritualis, ut vocatur ab Apoſtolo; ſemper tamen manebit, Chriſtū propriè Petram appellari non poſſe. Aliud enim Petra eſt ſive *lapis*, aliud Chri-

Chriſtus θεάνθρωπος. *Verum proinde eſt*, quod ex *Hieronymo* ſubjungit vir doctiſſimus, *Chriſtum poſtmodum ſecuturum aut naſciturum*, ſed & hoc verum, ex eodem *Hieronymo*; *ejus figuram Petram à Moſe percuſſam geſſiſſe*: Petram proinde ſpiritualem Chriſtum vocari non *propriè*; ſed, tum *Metonymicè*, tum *Metaphoricè*, adeóque; id quod probandum nobis erat; *figuratè*. Miror, Doctiſſimum Virum, nodum etiam nectere, ubi plana omnia ſunt & perſpicua. Iſraëlitæ dicuntur bibiſſe ex *Petra ſpirituali*, quæ, ut immediatè ſubjicitur, erat *Chriſtus*. Ut igitur nulla propriè dicta *Petra ſpiritualis* (*lapis* enim & *Spiritus* affirmatè de ſe enuntiata implicant) dari poteſt; ita nec Chriſtus Petra, *propriè*, ullo modo appellari. Non quæritur de re ipſa, an Chriſtus ſit Petra, de quo nullus inter nos diſſenſus, ſed de modo loquendi, *proprius* ne ſit an *improprius*. *Proprius* eſſe non poteſt, non magis, quàm ſi in V. Teſtamento Deus *Petra* appellatur: *Impropria* ergò & Metaphorica hæc eſt denominatio, quod vel Scholaſticis, in Tropologia utcunque verſatis, notum eſſe exiſtimem.

VI. Verba Geneſ. 17. verſ. 13. *Eritque pactum meum in carne veſtra, alium ſenſum, quàm ſequentia ejuſdem capitis v.* 1.20. Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos, *non habere*; vi-

ro doctiſſimo utraque largimur manu; niſi quòd prior loquendi formula impropria ſit & Rhetorica; poſterior propria & Grammatica. Sed annon ita *Adverſarii noſtri, noſtri judices?* *Deut.* 32. verſ. 31. Annon eadem ratione & nos, cum ex Scriptura dicimus, verba *Hoc eſt corpus meum*, eundem habere ſenſum cum verbis Pauli; Hoc (panis quem frangimus) *eſt communio*, teſſera communionis, ſymbolum, *corporis Chriſti*; præeuntem habemus ipſum Deum interpretem? Cur ergò moras nectamus, aut ſequi tergiverſemur? Non dabit vir doctiſſimus, & rectè quidem, ipſam circumciſionem eſſe pactum in carne Iſraelitarum, propriè: Et tamen Deus ita diſertè vocat; *Pactum meum erit in carne veſtra*, id eſt, ut ipſe explicat, *ſignum pacti mei ſive fœderis.* Cur igitur nobis, exemplo & authoritate Spiritus S. phraſes Sacramentales *improprias* reſolvere non liceat in *proprias*? Aut quodnam inter explicationem ipſius Dei: *Erit circumciſio pactum meum*, i. e. *ſignum pacti mei*, & Reformatorum in materia planè homogenea; *Hoc* (panis) *eſt corpus meum*, i. e. *ſignum corporis mei*, diſcrimen? Captus es, vir doctiſſime, ut cum *Theodoreto* Dial. 2. loquamur, retibus, quæ ipſe texuiſti. Nam, quia *myſtica ſymbola propriam naturam poſt ſanctificationem non amittunt; ſed in priori manent ſubſtantia, & figura &*

ſpe-

ſpecie, & videri, tangique poſſunt, qualia etiam prius erant ; impropriæ ejusmodi locutiones per proprias neceſſariò ſunt reddendæ.

VII. *Exodi* XII. agnum dici Tranſitum Domini, ſupra ſatis manifeſtè, ut ſpero, evicimus; quod Vir doctiſſimus illud *non videt*, dolemus equidem. Dolemus, adeò tortam eum, novam, & abſurdam facilè videre verborum Inſtitutionis explicationem; non videre planam, perſpicuam, toties in S. Scriptura utriusque Teſtamenti expoſitam, ut non poſſit de alio quàm de *agno*, vox *Paſchatis*, intelligi. Non *ſatis capere* Virum doctiſſimum, *quomodo hoc dici poſſit, cùm tranſitus ſit motus euntis de loco ad locum, per quoddam ſpatium medium, quod de agno illic dici nequit*; non miramur: Neque nos capimus, nec capere vel debemus vel poſſumus, neque etiam capere jubemur, quomodo *agnus*, propriè, ſit *Tranſitus*. Impropriè tamen *agnum* vocari *Tranſitum*, cujus ſignum erat, quid prohibeat? Hinc verò iterum evidenter colligimus, cùm utrumque ſit verum, & *agnus* vocetur *Tranſitus*, & tamen *Tranſitus* non poſſit eſſe propriè *agnus*; quòd neceſſariò propoſitio ſit Tropica. Ita etiam capiendum, cùm Chriſtus dicitur *Petra, ſpiritualis*: cùm enim omninò aliud ſit *Petra* aliud *Chriſtus*, quæ de ſe invicem affirmari propriè non poſſint, ad eam Scripturæ neceſ-

ſariò confugiendum explicationem, quæ neq; naturam rei evertat, neque Spiritûs ſancti verba in Controverſiam quoquomodo vocet, adeóq; analogicam & ſymbolicam, non verò propriã & Grammaticam ſequatur ſignificationem.

VIII. *Inſtat* Vir doctiſſim⁹; *At verba Domini*; Eſt enim Phaſe, i.e. Tranſitus Domini, *non dicuntur de agno, quaſi agnus ſit Tranſitus; ſed, poſtquam Deus juſſit Iſraelitas immolare agnum, oblinere poſtes ejus ſanguine &c. Addit hujus rei rationem*; Eſt enim, *inquit*, Phaſe, i. e. Tranſitus Domini, *quod nihil aliud ſignificat, quam adeſt Tranſitus Domini, id indicant ſequentia verba:* Et transibo per terram Ægypti nocte illa; *& paulò* pòſt: Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem, & transibo vos. Reſp. 1. Imò verò verba; *Hoc eſt Phaſe, Hic eſt Tranſitus*; de agno dicuntur. Pronomen enim demonſtrativum *Hu*, Hoc, ad ſuum antecedens, (אתו *Otho*) *illum v.* 11. agnum nempe perfectum, ut *v.* 5. appellatur neceſſariò referendum, ſive Grammaticam reſpiciamus, pronominis cum ſubſtantivo maſculino, convenientiam: ſive Logicam connexionem, ubi oratio infinitiva ante verbum finitum, ſive expreſſum, ſive ſub intellectum naturali conſtructione ponitur pro nominativo & pro ſubjecto: ut de circumciſione, *Gen.* 17. *verſ.* 10. & 11. Imò, planè ut, cùm Chriſtus de pane dixit; *Accipite, edite,* con-

confeſtim ſubjecit; *Hoc eſt corpus meum.* 2. Vir doctiſſimus infirma nititur hypotheſi, quaſi in textu ipſo particula *Eſt* occurreret, pro *Adeſt*. Nuſpiam illa apparet, in Originali contextu, ſed ab Interpretibus, explicationis ergò, eſt addita. 3. Et quid ſi verſiculus hic unicus; quod tamen non largimur; aliquam haberet difficultatem, ut Pronomen *Hoc*, vel ad Hiſtoriam, vel totius feſti ſolennitatem referretur, num propterea improprietas phraſeos, *Agnus eſt Tranſitus*: & *Tranſitus eſt agnus*, erit controverſa? Nihil hîc periculi. Manet adhuc ſemper, &, ex ſupra allatis exemplis, manebit inconcuſſum, nihil Spiritui ſancto in utroque Teſtamento, Judaicæ etiam Eccleſiæ fuiſſe uſitatiùs, quàm agnum, eo tempore mactandum, *Paſchatis* ſive *Tranſitûs* nomine intelligere. Ut ſtupendum profectò potiùs, quàm mirandum videatur, in hoc etiam ſcirpo nodum quæri, aut iis ſcotomata offundi, quæ luce meridiana clariora ſunt. *Tranſitum mactare, edere, parare*, &c. Scripturæ phraſes ſunt, obviæ & uſitatæ, adeóque veræ, quas tamen ſi capere velit Vir doctiſſimus, Tropologiæ uſitatæ luce illuſtrare debet. 4. Αἰτιολογία, Viri doctiſſimi, ſubjecta, planè inconveniens eſt; quaſi Deus diceret, *adeſſe tranſitum Domini*. [a] Particula *enim* ne quidem in textu occurrit. [b] Illa demum ſequitur *v. 12.* [c] Sacro-

crorum Annalium ſcriptor, initio capitis, mandat Iſraëlitis, ut, antequam exirent Ægypto, Sacramentum agni Paſchalis celebrarent. Agni eligendi, mactandi, coquendi, manducandi oſtendit modum & rationem ad *v. 12.* Et ut ne exiſtimarent Judæi, hoc convivium profanum eſſe aut commune, nomen ei imponit ſub finem v. 11. *Hoc*, inquit, quod vos manducare juſſi, *eſt Paſach*, eſt *Tranſitus*. Ne verò ignorarent, cur hoc potiſſimùm ei nomen Dominus impoſitum voluiſſet, v. 12. *Ego enim*, inquit, *tranſibo per terram Aegypti &c.* Non ergo abrupta hic eſt oratio; ſed Etymi tantùm ſubnexa ratio, cur nempe Deus agnum illum Tranſitûs nomine inſignierit. Manſit deinceps conſtanter huic agno, totiq; ritui nomen *Tranſitûs*, addita tamen iterum ea explicatione, quàm in N. Teſtamenti Sacramentis retinuerunt Reformatores. Ita v.g. v. 13. additur; *Erit ſanguis in ſignum*; & v. 14. *Et erit dies iſte vobis in memoriam*, εἰς ἀνάμνησιν liberationis ex Ægypto & poteſtate Pharaonis, planè ut Chriſtus cœnam inſtituit, in ſui *memoriam*, gratam *recordationem* mortis pro nobis, noſtráque liberatione ex poteſtate Satanæ, oppetitæ. Hæc ſobria, vera, & genuina textûs præſentis eſt explicatio, ipſis fontibus ſponte *innata*, non verò violenter *illata*, aut falſis ſuppoſitionibus, quaſi vel particula *Enim*, vel ſub-

ſubſtantivum *Eſt*, pro *Adeſt* in textu occurreret, ſuffulta.

IX. Quòd verſus 27 ſolicitatur, id verò doctiſſimo Viro, multis nominibus minus eſt dignum; & vellem equidem, Homerum non ità periculoſè hîc dormitâſſe. De Genitivo ne quidem ſum ſolicitus. Quamvis dilutum nimis eſt Argumentum ab Accentu, caſuum diſtinctivo, petitum. Non credo, Veteres hoc ita vel legiſſe vel obſervâſſe. Editio *Colonienſis* 1529. 1530 *Lugdunenſis* 1527. aliæque Vulgatæ, illa etiam, quæ cum Nicolai Lyrani gloſſis prodiit, imò & elegantiſſima *Antverpienſis* 1624. διάκρισιν Genitivi Tranſitûs, *quàm claram eſſe in textu Latino* Vir doctiſſimus *monuit*, planè ignorant. Neque etiam hoc *ſenſu* verba: *Agnus eſt victima Tranſitûs Domini*; Veteres *intellexiſſe*, non obſcurè hinc patet, quòd Vulgato cum LXX. Interpretibus ut plurimùm bene conveniat. At LXX. expreſſe habent nominativum τὸ πάσχα ἐστὶ, *hoc Paſcha*, planè ut v, 11. Quanquam noſtrâ prorſus nihil referat, ſi vel Genitivum maximè admittamus, quem etiam, quod non negamus, *Syrus* & *Arabs* retinent: Plura ſunt loca, eáque ἀναντίρρητα, quæ nullum planè alium fundunt ſenſum, quàm quo *Paſach*, *Phaſe*, *Tranſitus*, pro *agno*, ſumitur, non utique propriè, quod neque nos cum Viro doctiſſimo capimus

mus; ſed figuratè. Repeti poſſunt, quæ ſupra de hac Phraſeologia diximus

X. Sed Gordium ſibi, Vir doctiſſimus, nectit nodum; videamus an ſolvere eum commodè poſſimus. *Certum eſt*, inquit *ſenſum Scripturæ non eſſe*, Agnum eſſe Tranſitum, *quod nemo intelligere poſſet*, &c. Ita eſt: Nemo intelligere poſſet, qui rigidiùs literæ inhærens, *Agnum* propriè eſſe *Tranſitum*; obtinere vellet. Cur autem intelligere non poſſimus, ſi cum, & ex Scriptura, Eccleſiæ praxi & conſuetudine loquamur, *Agnus eſt Tranſitus*; figuratè, id eſt, ſignum tranſitûs; *non eſt tranſitus*, propriè? Quæ, quæſo, in ejusmodi explicationibus Tropicis, (quas niſi admittamus, abſurdiſſimarum in Theologia inferemus opinionum iliadem,) vel difficultas vel abſurditas? Cur fruſtra crucem nobis figamus? Tota utique Scriptura ſacra locutionibus ejusmodi ſcatet. Non improbo, hunc de agno Paſchali locum ægrè ſibi Virum doctiſſimum eripi paſſum eſſe; ereptum autem jam, ſpero planam & expeditam ſtructurum viam, ad legem ὁμογενείας diligentiùs in aliis obſervandam.

XI. Illud, *quicquid ſit in Hebræo textu*, Viro doctiſſimo vellem nunquam excidiſſe. Scio, multos eſſe in Eccleſia Romana, qui decretum Synodi Tridentinæ de Editione authentica, ita explicant, ut Latinam omnibus Editionibus,

He-

Hebraicis etiam & Græcis præferant; non puto tamen Virum doctiſſimum latere, Celeberrimos Sorbonæ Doctores, alióſque, eruditione, integritate cæteris multis paraſangis ſuperiores, nunquam voluiſſe permittere, ut fontibus præferrentur rivuli, Textui authentico qualescunque Translationes. Nota ſunt publica ſcripta & judicia Virorum ſolidè Doctorum, *Simeonis de Muis*, *Flavignii*, aliorúmque, quibus nimia pro Vulgata Latina ſuperſtitio nunquam placuit. *Cardinalis Cajetanus* dicere ſolebat: *Intelligere textum Latinum, non eſſe intelligere verbum Dei. Verbum Dei errare non poſſe; ſed vocem interpretis errori eſſe obnoxiam.* Nemini vel ignotum vel obſcurum eſſe poteſt, Regum & Principum diplomata non ex verſionibus vel translationibus, ſed authenticis tabulis, & prototypis indicanda eſſe atque judicanda: Sed hæc obiter.

XII. Verba, *Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis*, totidem ſyllabis ad Tit. 3. v. 5. non oſtendimus: Agi autem illo Pauli loco de Baptiſmo, quis Theologorum, ut de ſcopo dicentis, & locorum paralleliſmo nihil dicamus, ſalva Veterum authoritate, negare ſuſtineat? Quid enim uſitatius illis eſt, quàm Baptiſmum appellare λουτρὸν σωτήριον, ἅγιον λουτρὸν: *Lavacrum ſanctum, Lavacrum pœnitentiæ; Lavacrum cœleſte*, ut vocat Lactantius. An verò

Ba-

Baptiſmus, id eſt, immerſio, vel aſperſio aquæ, *propriè* eſt lavacrum regenerationis? An inſita quadam virtute, externum hoc elementum à peccatis, internis animæ ſordibus, nos purget? Non profectò. Niſi velimus, omnes, qui externâ aquæ baptiſmatis undâ ſunt abluti, regenerationem ipſo actu, per eam, ceu vehiculum, conſequi: Cui tamen quotidiana reclamat praxis; repugnant exempla eorum, qui Baptiſma quidem fluminis acceperunt, Flaminis non item. Solus *nos Chriſti ſanguis purgat* à *peccatis*, 1. *Ioh.* 1. 7. cujus, aqua Baptiſmi, propterea typus eſt, ſive figura, quia convenientiſſimam nóbis oſtendit analogiam. Quemadmodum enim aquâ macula eluitur, ſordes expurgantur, ita & ſanguine Chriſti, ejúsque aſperſione maculæ animæ, peccata abluuntur & expiantur. Neque verò video, cur Vir doctiſſimus *Comparationem* ſeu *Identitatem propoſitionum impropriarum concedat in verbis, Aqua, aut lavacrum, ſeu Baptiſmus eſt Spiritus ſanctus*; & *Hoc eſt corpus meum*; *in ſequentibus verò Apoſtoli verbis*; Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti, *non item.* Cur, amabò, Baptiſmus exterior, qui fit ablutione aquæ, magis propriè vocari poſſit *lavacrum regenerationis* (quam enim externum Elementum aquæ habeat Virtutem in animam, ejúsque facultates,

in

in regenerationem, quæ, ut actio eſt intrinſeca, totáque ſpiritualis, ita etiam ſpiritualiter debet intelligi, judice Servatore *Ioh.* cap. 3.) quàm, *Baptiſmus eſt Spiritus ſanctus,* nondum oſtendit. Utrobique diſparatorum eſt enuntiatio, ſive dicam, *Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis,* cujus ſignum tantùm eſt & ſigillum; ſive, *Aqua, vel Baptiſmus eſt Spiritus ſanctus,* quo ſenſu aquæ vocabulum Theologi accipi volunt *Ioh.* 3.v.5. Utraque proinde impropria ſive Tropica.

XI. Atque ſic ſpero, Virum doctiſſimum *viſurum, quo pacto dicere poſſint Tigurini, ſe credere, panem eſſe corpus Chriſti, quemadmodum in Geneſi, Exodo, Epiſtola ad Titum, Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt Tranſitus, Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis*; quia & formulæ iſtæ in Geneſi, Exodo, Epiſtola ad Titum, extant, & planè ſunt ſimiles verbis Inſtitutionis: utrobique enim de Sacramentis ſermo eſt, utrobique loquutiones adhibentur Sacramentales, utrobique ergo eadem verba illa explicandi ineunda eſt via. Neque diffitemur, *neceſſe omnino eſſe dicere cum Chriſto,* Panem eſſe Corpus Chriſti, Vinum eſſe ſanguinem Chriſti: Quis enim de eo ambigat, quod, qui ipſa eſt veritas, protulit? Aut quid nos offendat tam plana & perſpicua, etſi Tropica locutio, ut non dictam aut defenſam eam velimus? De veritate verborum non eſt controverſia; ſed de ratio-

tione & modo veritatem inveſtigandi, ſit ne *immediatus*, verbis propriis, an *mediatus*, Tropicis, enunciatus? Chriſtus ſe Leonem, viam, vitem, &c. appellat; nemo hoc in dubium vocat: Propriè tamen Chriſtum eſſe Leonem, viam, vitem (etſi vera nuncupetur) non dabunt Adverſarii. Non verò propterea inconſtantia nobis aut levitas exprobranda, *cùm iterum dicimus, eſſe ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, quod idem eſt, ac ſi diceremus, panem & vinum eſſe & non eſſe corpus & ſanguinem Chriſti*: Sunt enim omnino, *panis* & *vinum*, Elementa, ſymbola, figuræ, typi, antitypa, ut appellari ſolent ab Eccleſiæ *Patribus*; falſiſſimum tamen, & jam ſupra à nobis confutatum eſt, nihil aliud eſſe, quàm *nuda* & *vacua* ſigna. Sunt, ut mentem noſtram apertiùs declaremus, ſigna 1 *ſignificantia*, quæ fractione nobis panis, effuſione vini Chriſtum pro peccatis noſtris paſſum, corpus ejus fractum, ſanguinem effuſum ob oculos ponunt, & depingunt, *Matth.* 22.28. *Gal.* 3. 1. Sunt ſigna 2. *exhibentia*, quæ verè & realiter, Chriſtum nobis ejúsque meritum exhibent & offerunt, non per incluſionem, neque per Tranſſubſtantiationem, ſed per ſpiritualem, (prout omnis noſtra in, & cum Chriſto communio ſpiritualis eſt) veram tamen, & realem in legitimo uſu participationem, adeò ut elementa, Panis & vinum, accedente, per Miniſtrum, verbo, virtute & ordinatione Divina fi-

ant

ant Sacramentum; quo corpus & ſanguinem Chriſti, ad vitam ſpiritualem edimus & bibimus. Per hanc manducationem cum Chriſto ita arctè unimur, ut fiamus caro de carne ejus, & os de oſſibus ejus, per quam etiam conſervamur ad vitam æternam. Quia igitur & cibus ſpiritualis eſt, & vita, ad quam nos nutrit ſpiritualis, ipſum quoque os ſpirituale eſſe oportet. Myſterium enim eſt, quod animam reficit, ſenſus non afficit, nec ad vitam corporalem quicquam confert. Sunt denique ſigna *confirmantia, obſignantia* & *applicantia*, adeò ut quæcunque verbum audibile Evangelii omnibus promittit credentibus in genere, illa ipſa, verbum hoc viſibile, Sacramentum, unicuique *confirmet, obſignet* & *applicet in ſpecie*. Quemadmodum enim Abraham accepit Circumciſionem, ſignum, quod obſignaret juſtitiam fidei, *Rom.* 4. verſ. 11. ita etiam cuilibet fideli, uſu elementorum Dominicorum, tanquam per arrhas, annulos, ſigilla, obſignatur, confirmatur & applicatur, quicquid Chriſtus ſuo merito illi acquiſivit. Et prout Paſchatis feſtum in V. T. in gratam Exitûs glorioſi populi Iſraëlitici ex Ægypto recordationem; inſtitutum fuit, atq; ab uno quoque Iſraëlita celebratum; ità & in memoriam liberationis à peccato, & Diabolo, Chriſtus Cœnæ ſuæ repetitionem nobis commendavit: Idque eò potiſſimùm, ut promiſſionibus ſuis ſigillum adderet, noſtræque adeò

ſuccurreret infirmitati. Procul ergò à ſacris illis abſint profani! Illoris manibus ad illa nemo accedat: Probet ſe quiſque, juxta Pauli monitum, 1. Cor. 11. & tum demum de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Hæc autem, dignè communicaturi, pia eſſe poſſunt jacula & vota: *Eja! adſum ô Domine, facturus voluntatem tuam, grata mente memoriam, in confirmationem fidei, mortis tuæ celebraturus. Gratiam mihi fac, ut non panem tantùm accipiam Domini, ſed & panem Dominum; non elementa tantùm & ſignum, ſed & rem ſignificatam, medullam & nucleum, corpus & ſanguinem Chriſti, quorum participatione Ille ſit in me, & ego in Ipſo*; creſcam in virum perfectum ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti, *Epheſ.* 4. verſ. 13. Hunc uſum habent ſigna Sacramentalia, in legitimo uſu, qui longè plus pollicetur, quàm carnalis illa Verborum de carne & ſanguine Chriſti explicatio, quémque univerſa primitiva Eccleſia & religioſè obſervavit, &, ut poſtea audiemus, aſſiduè inculcavit. Abſurdum proinde non eſt, *ſi, diverſo reſpectu panem & vinum dicimus eſſe corpus* Metonymicè & Sacramentaliter; *panem & vinum non eſſe corpus*, propriè & literaliter: Utrumque enim aſſerit Scriptura. Chriſtus *panem* vocat *corpus* ſuum, & *vinum ſanguinem* ſuum. Negat, panem eſſe corpus, & vinum ſanguinem ſuum, quandoquidem fieri non poteſt, ut panis ſit corpus Chriſti, fructus vi-

vitis ſit fructus ventris, vinum ſit ſanguis, niſi impropriè, & uſitato Tropo. Et, ſi Viro doctiſſimo *certum fuit viſum, ſenſum Scripturæ non eſſe*, agnum eſſe tranſitum; *ſi capere non potuit* (ubi tamen nulla niſi ſponte accerſita difficultas) *quomodo hoc dici poſſit, cùm tranſitus ſit motus euntis de loco ad locum per quoddam ſpatium medium*; quomodo alios capere exiſtimet, Panem *propriè* eſſe Corpus Chriſti, cùm *ille* ex multis conſtet granis, mixtura ſit aquæ & farinæ; *hoc* verò virtute Spiritûs ſancti in utero Beatæ Mariæ Virginis ex ſubſtantia ejus conceptum & natum. Iterum ergò, quod jam in antecedentibus à nobis obſervatum eſt, monemus, propoſitionem; *Panis eſt corpus Chriſti*, vel eſſe falſam (quod vel cogitatu nefas) vel tropicam.

SECTIO VI.

De ſenſu verborum; *Hoc eſt Corpus meum*, Tropico ſeu figurato.

I. Atque ſic, ut opinor, manifeſtum ſatis eſt; 1. ex Spiritus ſancti mente & intentione ritum circumciſionis appellari *fœdus*, cùm *ſignum* tantùm fœderis fuerit; Tranſitum, agnum, idque per Metonymiam Sacramentalem. 2. Hujus Metonymiæ Interpretem eſſe ipſum Spiritum ſanctum, & ad eundem planè modum, quem hodie retinet Eccleſia Tigurina. 3.

Eccleſiam primitivam has loquendi formulas inter prima Theologiæ ſuæ capita retuliſſe. 4. Ac proinde non Tigurinorum fuiſſe compoſitionem, quòd totidem verbis & in Scriptura reperiunt, & in Antiquitate. 5. Zuinglium, quo ad phraſeologiæ Sacramentalis expoſitionem, novitatis argui non poſſe, niſi Græci pariter & Latinæ Eccleſiæ eodem involvantur reatu. Sufficere hæc poſſent in cauſæ primariæ ſubſidium. Quia verò obſervo, totius Controverſiæ noſtræ Cardinem in hoc verſari, *utrum verba Inſtitutionis*; Hoc eſt corpus meum, *Tropicè an propriè ſint intelligenda?* paululum nobis ſubſiſtendum erit. Eſt enim trabalis clavus, qui infirmiorum aut præ poſterè de nobis ſenientium animos graviſſimè vulnerat. Aſſerto verò & evicto, Tropica eſſe inſtitutionis verba, cætera ſponte vel ſtabunt, vel cadent. Hoc ſcrupulo exemto, nihil in hac diſceptatione ſupereſſe, quod magni ſit momenti, animadverto. Reliqua enim omnia, quæ Vir doctiſſimus in ſequentibus proponit, *facti* potiùs ſunt & *authoritatis Eccleſiaſticæ*, quàm ſolidæ rationis & *juris Divini*. Experiamur ergo cauſæ noſtræ robur. Quæritur: *Vtrum verba*; Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt ſanguis meus (hæc enim duo quia Scriptura conjungit, divelli à nobis non debent, præſertim cùm poſterius prioris ſit ἐξηγητικὸν) *propriè an Tropicè ſint intelligenda?* Si de *facto* quæſtio ſit, *utrum vel Reformati,*

mati, vel Lutherani, vel Pontificii verba propriè intelligant, an Tropicè? apertè fateor, Tropum omnibus reipſa placere, etſi verbis à Pontificiis & Lutheranis ille rejiciatur. *Pontificii* verba: *Hoc eſt corpus meum*, explicant: *Hoc ſit, mutetur*, vel *mutatum eſt in corpus*, & ita quidem, ut ſublato Subjecto mera ſuperſint Accidentia. Hoccine eſt retinere τὸ ῥητὸν, literam, verba? Quàm longis hîc curritur ambagibus? An uſpiam *Eſt*; & ; *mutari in aliquid*, æquipollent? Imò toto cœlo differunt & *illud* ὕπαρξιν dicit ſeu Exiſtentiam, adeóque ſtatum præſentem; *hoc*, intercedente privatione, γένησιν, generationem ſeu productionem futuram. Sed & Lutheranorum explicatio, *Hoc eſt Corpus meum*, per Synecdochen; quam etiam concedunt; *In, cum, & ſub pane* eſt corpus meum, reddunt. De Reformatis conclamatum eſt! Scilicet, non Tropum tantùm, ſed & commodam Tropi ſedem indicant. Utut ergò Pontificii & Lutherani averſum à Tropo oſtendant animum, ſententiam tamen abſque Tropologia ſuam, nullo colore vel aſſerere, vel defendere poſſunt. Iterum ergo Viro doctiſſimo judicandum relinquo, qua fronte Scholaſtici, in verbis; *Hoc eſt corpus meum*, æquipollentiam extorqueant verborum; *Hoc ſit; fiat, mutetur in corpus meum* Eſſe & Tranſubſtantiari nullam prorſus inter ſe habent affinitatem, neq; Gram-

maticam, neque Theologicam, neque Phyſicam.

II. Sed nolumus de *facto* contendere, *jure* quid fieri expediat examinaturi, Tropicè, Inſtitutionis verba explicanda eſſe, breviter & dilucidè ita probamus. 1. *Vſus eſt Chriſtus locutione Sacramentali*, E. *Tropica. Antecedens* in confeſſo eſt. *Conſeq.* tum ex fundamento dicti *de omni* procedit; tum ipſa etiam exemplorum inductione, omnium nempe ordinariorum, utriusque Teſtamenti, Sacramentorum, manifeſtum eſt; id quod ex ſuperioribus repeti hoc loco debet. Debet hæc regula Patrum in Eccleſia non minus eſſe univerſalis & recepta, quàm altera illa, cujus meminimús, de anthropopathiis. Hæc enim per εἰκόνας, τύπȣς, ζύμβολα operationes nobis divinas proponit; illa contrà ſymbolis, & typis nomen rerum cæleſtium, & beneficiorum divinorum imponit. Hæc meta eſt, ad quam qui non attendunt, de Sacramentis nunquam ſobriè diſſerent; & à qua divelli nos poſſumus.

2. *Verba, de altero Elemento, Vino nempe, ſunt Tropica*, E. *& de pane.* Antecedens probatur textibus Scripturæ. *Luc.* 22.20. Hoc poculum, eſt novum illud Teſtamentum, per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur. 1. *Cor.* 11. 25. Hoc poculum eſt novum illud Teſtamentum in ſanguine meo. Utut in omnes ſe adverſarii vertant partes, eluctari tamen non poterunt, quo minùs Tropum in his verbis admittere

tere debeant. Quomodo enim *poculum* propriè eſſe queat *Novum Teſtamentum*? Quòd ſi hæc Tropica ſint, quæ inſtitutionis Cœnæ alteram conſtituunt partem, cur in priori membro, cùm parium par ſit ratio, locum relinquere Tropo tergiverſentur? Hunc hactenus nemo, quod ſciam, ſolvere, ſecare multi conati ſunt nodum: Sed irrito omnia tentata ſucceſſu. Quod enim nonnulli, *Teſtamentum* vocari, quia Chriſtus nobis Teſtamento legavit *ſanguinem* ſuum, excipiunt, impertinens planè eſt. Nam ne ſic quidem verba Tropica eſſe deſinunt, imò Tropum clariùs oſtendunt. Ratio enim tantùm, exceptione illa, redditur, *cur* Chriſtus *poculum* vocârit Novum *Teſtamentum*; *quòd* poculum *Teſtamentum* propriè dicatur, non oſtenditur. Quanquam, *Teſtamentum in ſanguine*, non poſſit eſſe ſanguis. Nemo enim unquam ſic loquutus eſt, ut rem Teſtamento legatam, vocet Teſtamentum in re, quod hoc loco fit. Sed & ipſa Tropi explicatio non ſatis Theologica eſt. Ideò enim, ſecundùm Scripturam, Chriſtus poculum vocat Teſtamentum, quia *ſignum* erat ſanguinis, quo N. T. fuit ratum, *Heb.* 7. verſ. 22. *Gal.* 3. 14.

3. *Verba Chriſti ſunt Teſtamentaria*, E. Tropica. Hoc argumentum, ex adverſariorum antitheſi profectum, ſtudióque iis, qui exceptionem in Teſtamentis quærunt, oppoſitum, innititur perpetuæ Praxi ſanctorum, Veteris &

N. Teſtamenti, quorum verba Teſtamentaria & legatoria, ut plurimùm, imò omnia ſunt Tropica, Iſaaci, *Gen.* 27. Jacobi, *Gen.* 49. Moſis, *Deut.* 33. Davidis, 2. *Sam.* 23. Pauli 2. *Timoth.* 4. 6.

4. *Ferè omnia reliqua Inſtitutionis Cœnæ verba impropria ſunt*; Nihil ergò abſurdi, ſi hîc quoque Tropo relinquamus locum; aut danda nobis eſt ratio diſparitatis. Geminus Tropus latet in verbis: *Poculum eſt N. Teſtamentum*. Tropica ſunt; *quod pro vobis frangitur, quod pro vobis effunditur, in remiſſionem peccatorum*. Corpus tum *propriè* non erat fractum, nec ſanguis in remiſſionem peccatorum, quod fieri debebat in ara crucis, effuſus. Tropica ſunt; *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, uſquedum bibam vobiſcum novum in regno Patris.* Hæc etiam verba Chriſti ſunt, an verò propterea ita moroſè flagellanda, ut cœlum Muhammedicum, Perediam & Perbibeſiam hinc fingamus?

5. *Eo modo Chriſtus in Cœna panem corpus ſuum vocat, quo Iudæi in celebratione Paſchatis, corpus agni appellârunt* corpus Paſchatis. Hoc factum Tropicè E. & illud. Ratio conſequentiæ, quia Chriſtus agno Paſchali Cœnam ſuam ſubſtituturus, eadem retinere voluit elementa, eaſdem ferè phraſes & ceremonias, quibus diſcipuli aſſueverunt, ut hoc eos Pædagogo faciliùs doctrinæ ſuæ ritibus imbueret. Quod ar-

argumentum alia occaſione prolixiùs poterit tractari, ejúſque momentum ita dilucidè proponi, ut nemini dubium eſſe queat, hanc, inter utrumque Sacramentum, analogiam, ad componendum diſſidium Sacramentarium magnum afferre momentum. Certè, quando Apoſtolus, ipſum Chriſtum pro nobis immolatum, Paſcha ſive tranſitum appellat, (*Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, Chriſtus*, ſcribit 1. Cor. 5.7.) haud obſcurè innuit, alterum per alterum commodè explicandum.

6. *Ita verba Cœnæ nobis ſunt explicanda, prout explicuiſſe ea videmus Apoſtolos.* At Apoſtoli ea Tropicè explicuerunt. Paulus *quinquies* corpus Chriſti vocat *panem*, etiam poſt conſecrationem. Atqui nec panis propriè eſt corpus, nec corpus panis. E. Tropicè, per Metonymiam ſigni. Idem 1. Cor. 10. verſ. 16. *panem quem frangimus*, vocat *communionem corporis Chriſti*. E. non ipſum corpus. Aliud enim eſt *communio* rei, aliud res ipſa. Ubi tamen *communionis* vocabulum, pro ſigno communionis eſt accipiendum: Id quod ex ſcopo Apoſtoli ſatis evidenter patet. Ut enim Idolothyta *κοινωνία* vocantur, ſive *communio* Dæmoniorum, & veſcentes Idolothytis *κοινωνοὶ*, *conſortes* dæmoniorum, quia ſacrificia illa ſignum & teſſera erant, qua Collegium ſeu corpus conſtituebatur eorum, qui Dæmoniis cultum, obſequium & homagium præſtiterunt; Ita vice verſa, qui de pa-

pane & vino Dominico participant, publico *communionis ſigno* teſtantur, ad quem cœtum ſeu gregem pertineant, Dominicum nempe, teſte Apoſtolo: *Panis, quem frangimus, nónne eſt communio corporis Chriſti*; tum veri & naturalis, tum myſtici, id eſt, Eccleſiæ, 1.*Cor*. 10. 16. 17.collat.

7. *Accedit ſuffragium antiquitatis*; Ut enim Copulam Eſt, per *ſignificare, repræſentare, memorare* Patres interpretantur; Ita panem & vinum corporis & ſanguinis Chriſti vocant *ſigna, Sacramenta, figuras, ſymbola, typos, Antitypos, myſteria, exemplaria, ſimilitudine, imagines, memorias*; id quod prolixè & ſolidè non demonſtratum modò, ſed & vindicatum eſt à Theologis Reformatis.

8. Propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, habet notas & characteres, veras & Eſſentiales, Propoſitionis Tropicæ; E. Tropica eſt. Utriusque veritatem vidit *Auguſtinus* lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 16. *Si præceptiva loquutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt*. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis, *facinus vel flagitium videtur jubere*, figura eſt, *præcipiens, paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter*

ter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata, Quid in rem noſtram clariùs dici poſſet ab Auguſtino ? Negemus, propriam propoſitionem hoc loco facinus jubere aut flagitium ? Contradicentem habemus & *Auguſtinum* & *experientiam.* Sed de hac re poſtea.

9. *Hæc verba aut ſunt intelligenda per uſitatam Metonymiam Sacramentalem, aut panis mutabitur in corpus Chriſti, per Tranſſubſtantiationem,* aut in, cum & ſub pane *erit corpus Chriſti per conſubſtantiationem.* At non per *conſubſtantiationem*, quod ipſe Bellarminus concedit, (agnoſcit enim Chriſti verba nonniſi geminum admittere ſenſum, vel, ut corpus Chriſti realiter ſit præſens, quod per Tranſſubſtantiationem fieri vult; vel, ut panis ſit corporis Chriſti ſignum : Lutheranorum ſententiam ipſe rejecit Cardinalis) nec per Tranſſubſtantiationem. E. per Metonymiam Sacramentalem.

SECTIO VII.

Tranſſubſtantiationi nec Scriptura patrocinatur, nec Ratio, nec Antiquitas.

1. Dignum eſt ultimum ſuperioris ſectionis argumentum, quod paulò preſſiùs à nobis urgeatur. Id ut fiat *negativè* primò, palàm faciemus,

Trans-

Tranſſubſtantiationem nec verborum Inſtitutionis, nec ullius omnino Scripturæ habere aſſenſum; *ſanæ* & ſobriæ (imò illuminatæ, quæ res planè ut ſunt in natura ſua, & ex ordine authoris Naturæ conſiderat) *Rationis*, & *Antiquitatis* negatum conſenſum paucis attingemus; tum *poſitivè* contra Tranſſubſtantiationis tam novitatem, quàm abſurditatem militare *Scripturam, Fidei analogiam*; quam Tranſſubſtantiatio totam e ertit; *Antiquitatem*, & *ſobriam rationem*, etiam indicabimus.

II. A *negatione* aſſenſûs facturi initium, ita procedimus. *Tranſſubſtantiatio neque fundamentum habet in Scriptura, neque in Antiquitate, neque ſana ratione* E. Non in *Scriptura*. Confidenter enim iterum pronuntiamus, nuſpiam in ſacra Scriptura vel vocem *Tranſſubſtantiationis* occurrere, vel *phraſin*. *Eſſe corpus*, multò minus, *eſſe panem*, idem valere, quod *mutari, converti in corpus*; vel *rem*, phraſi expreſſam, ita panem in Chriſti corpus mutari, ut, deſtructo Subjecto, ſola ſuperſint Accidentia. Oſtendatur vel illius, vel iſtius, vel hujus apex, vola, veſtigium! Satis, ut puto, hoc ſtringit argumentum, ab enumeratione partium abſolutum. De *voce*, quæ vel ſola barbarie novitatem prodit, nolumus eſſe ſoliciti; reperimus, de *re ipſa*, nullo Scripturæ loco probari poſſe, vel in theſi, *Eſſe* æquipollere verbo *Tranſſubſtantiari*, vel in hypotheſi, *panem Tranſſubſtantiari*

in

in corpus Chriſti. Dogma verò tam abſurdum, prodigioſum & portentoſum extra & contra Scripturam obtrudere, nimiæ eſt temeritatis; dicam an audaciæ?

III. Quod verba Inſtitutionis; *Hoc eſt corpus meum*, identidem occinunt, id verò ad rem prorſus nihil facit. Nam 1. hæc verba ſunt, τὸ κρινόμενον. Quæritur, utrum hæc Transſubſtantiationis propria ſit ſedes? Et utrum nihil prorſus à tot difficultatibus, abſurditatibus, contentionibus, ambiguitatibus, ſcrupulis, quibus doctrina Transſubſtantiationis eſt intricata, nos liberet; aliumque, faciliorem & commodiorem, qui cum Scriptura pariter & Natura conciliari queat, fundat ſenſum? An præſtet unius propoſitionis nodum ſolvere, quàm ſexcentos nectere. Et mirari quidem ſatis non poſſumus, malle adverſarios omnia prorſus peſſundari, in ipſa Theologiæ & Naturæ principia impingi, quàm ſobriam hoc loco, Eſt, pro ſignificat admittere, Metonymiam; qua tamen uſitatius nihil eſt vel in Scriptura, vel in Antiquitate, vel in profanis authoribus. Unam negant Metonymiam, & infinitas fingunt exceptiones, limitationes, &c. Num quid luculentius (Scripturæ enim exempla jam ſupra à nobis ſunt allata) verbis Juſtini Martyris: Ἦν γὰρ τὸ πάσχα ὁ χριστὸς, ὁ τυθεὶς ὕστερον, Erat enim Paſcha (agnus Paſchalis) Chriſtus, qui poſtea immolatus eſt, *Dial.* cum Tryph. Num aliter Chriſtus Paſcha vocatur, quàm

quàm per ſignificationem ? Planè ut Auguſtinus: Aries Chriſtus erat i.e. ſignificabat. Germanus, Epiſcopus Conſtantino politanus ; ἐν τῇ νομικῇ τραπέζῃ ἦν τὸ μάννα, ὅ ἐστι χριστὸς, in Legali menſa erat manna, quod eſt Chriſtus. Idem loquendi genus profanis etiam placuit authoribus. Ælian. Hiſt. variar. lib. 10. cap. 10. Cùm ars pictoria primùm inciperet, adeò rudìter depinxerunt animantia, ut pictores adſcriberent: τοῦτο (ἐστι) βοῦς, ἐκεῖνο (ἐστι) ἵππος, τοῦτο (ἐστι) δένδρον, *Hoc bos eſt, illud equus, iſtud arbor* i,e: ſignum, figura, typus bovis, equi &c. 2. Diximus, & intrepidè repetimus (quod ſatis expendere vellemus Adverſarios) toto cœlo differre, *Eſſe corpus*, & *mutari in corpus*: neque enim *Grammaticè*, nec *Phyſicè*, nec *Theologicè* æquipollent. Illud Chriſtus dixit, hoc non. Imò, verbum *Eſt*, ubi copulandi (quod hìc fit) vim habet, *mutandi* vel *permutandi* ſignificatum nunquam alciſcit. 3. Magnæ igitur fuerit præſumtionis, illud pro conceſſo ſumere, quod nullo prorſus exemplo poteſt probari. 4. Verba Inſtitutionis vel *ſeorſim*, vel *conjunctim* ſumta Transſubſtantiationi patrocinantur. At nec *ſeorſim*, nec *conjunctim* ſumta verba, eam juvant. E. Non *ſeorſim*. Neque enim particula *Hoc*, vim illam Transſubſtantiandi, adeóque creandi habet, tum quia ipſi neſciunt Pontificii, quid ſit illud aut ſignificet (individuum vagum plerique hìc intelligunt) tum quia revera ipſum

Panem ;

Panem ; vel, ut Pontificii nonnulli loquuntur, *ſpeciem panis* ; denotat, quem Chriſtus modò antea accepit, fregit, dedit. Panis ergo eſt ; panis manet, prout panem Apoſtolus etiam poſt conſecrationem vocat ; panem Patres appellant.

II. *Abſurdiſſimum eſt* vulgi κρησφύγετον: *Panem dici, non quòd ſit, ſed quia videatur*. Belluli homines! Credi ſibi volunt, corpus, cujus nullũ videtur veſtigium, eſſe realiter præſens; panem, qui realiter præſens eſt, tantùm videri. Nónne hoc eſt aliud Evangelium annunciare? Aut, unúm oſtendant locum, in quo ſuam ita Apoſtolus explicet mentem. *Panis eſt*, (inquit Auguſtinus apud Bedam 1. Cor. 10.) *quod videtur in altari, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fidem poſtulat, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis*. Non dicit; quod in altari eſt, panem videri; ſed quod videtur, id eſt, conſpicitur, panem eſſe. Profectò, ſi hæc *licentia* Scripturam explicandi fuerit admiſſa, præcipua religionis Chriſtianæ dogmata periclitabuntur. Oſtende Marcioni carnem & oſſa Chriſti, ut veritatem corporis ejus probes: Negabit tuis verbis ſequelam. Apparere carnem, apparere oſſa, vera eadem non eſſe. Objice Muhammedano ipſius Pilati de Chriſto verba: *Ecce homo*! Negabit Chriſtum eſſe; videri tantùm, ſenſuum judicium fallere. Non Chriſtum; ſed Judam proditorem loco ejus cruci eſſe affixum. Ita ad-

E ver-

verſariis arma ſubminiſtramus, ubi ἄτερ γραφῆς, *abſq; Scriptura*, noſtris indulgemus ſuaviludiis.

III. In particula *Eſt*, proram & puppim diſputationis ſuæ conſtituunt Adverſarii: Sed fruſtra a. Attendendum enim, ante omnia, ad Linguam, qua Chriſtus uſus eſt, Syriacam, quæ, ut *ſignificandi* verbis non delectatur, ita in vulgari uſu verbum ſubſtantivum *Eſt* raro admittit: Ejus vero loco, more Hebræorum, Demonſtrativum הוא *Hu*, vel הנו *Honau*, adhibet. Unde & antiquiſſima *Tranſlatio Syriaca*, quam Marco Evangeliſtæ nonnulli, alii Eccleſiæ primitivæ Doctoribus, Apoſtolorum diſcipulis, tribuunt, loco verborum: *Hoc eſt corpus meum*, uſitato Syriaſmo, ponit; הנו *Honau, hoc ipſum, Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 24. *Luc.* 22. 19. (ubi verbum *Eſt* nuſpiam apparet) *corpus meum*. Quemadmodum verò *Exod.* 12. 27. verba Hebræa *Paſach hu*, hoc ipſum Paſcha, (ubi vocula *Eſt* in fontibus etiam deſideratur) LXX. reddiderunt: *Eſt hoc Paſcha*; Ita Syriaſmum, Græcâ Linguâ donaturi Evangeliſtæ, verbum *Eſt*; etiam Syris minus uſitatum, Græciæ autem ſolenne; liberè ſubſtituerunt: utrobique tamen *ſignificandi* notione legentis judicio relicta. *Vt peritis loquor*, inquit Apoſtolus, *judicate vos, quod ajo*, 1. Cor. 10. 15. Cùm judicio igitur ad iſtorum locorum examen accedendum eſt: Phraſium, rituum, ceremoniarum, diligens collatio; quæ in hujusmodi diſputa-

tio-

tionibus plus habet præſidii, quàm ſubtiliſſimarum diſtinctionum plauſtra; inſtituenda. Cur enim aliunde genuinum verborum ſenſum tutiùs exſpectemus, quàm ex ea, qua propoſita illa ſunt, Lingua? Obiter hæc moneo, ut videant Adverſarii, quàm incertum illud, quod in toties nobis inculcata vocula *Eſt* quærunt, ſit ſubſidium: cùm, vernaculâ ſuâ linguâ Chriſtum formaliter eam adhibuiſſe, nondum ſatis ſit probatum. b. Argumentum procedit à particulari. Chriſtus in hac propoſitione utitur verbo ſubſtantivo, *Eſt*; E. propriè illa ſumenda. Quis hujus propoſitionis univerſalitatem ſuſtineat? Verba Chriſti ſunt: *Ego ſum vitis illa vera*, (anne & propria? imò Metaphorica) *& Pater meus eſt vinitor*, Johannis 14. 6. *Ego ſum Oſtium*, Joh. 10.9. Cujus vel mentem ſubeat, hæc moroſiùs ſecundùm literam eſſe urgenda? *At ſunt hæc ἀπεργοδιόνυσα, quia non agunt de Sacramentis; alia ratio eſt Sacramentorum & Teſtamentorum, quæ proprias amant loquutiones.* Eſt omnino Sacramentorum ratio alia, hæc nempe, ut, cùm alibi impropriæ ejuſmodi loquutiones obſerventur rariùs, utriſque, & Sacramentis & Teſtamentis, illæ penè ſint propriæ, & domeſticæ. Unde & κατ' ἐξοχὴν *Sacramentales* appellantur. Oſtendimus nuper, nullum eſſe *Sacramentum*, quod hujus loquendi formulæ non præbeat exemplum. Eadem ratio eſt *Teſtamentorum*. Unde hoc ipſum jam ſupra invertimus

E 2 ar-

argumentum; oſtendere etiamnum parati ſumus, Linguæ ſanctæ; quæ in improprietate ſermonis elegantiam quærit; factum idiotiſmo, ut nullæ facilè dari poſſint populi Iſraelitici Teſtamentorum formulæ, quæ hoc teſſellatum dicendi genus non ament. Hoc qui neſciunt, morem genii & ingenii Hebraici, omniúmque ferè Orientalium ignorant Rogati igitur exempla impropriæ loquutionis in *Teſtamentis* & *Sacramentis*; viciſſim intrepidè rogamus, vel unicam ſive Teſtamenti, ſive Sacramenti ſedem, ubi ejuſmodi Tropi ordinarium locum non habeant. c. Si particula *Hoc*, quod vult Vir doctiſſimus, ipſam notat Euchariſtiam, tum vocula *Eſt*, non erit operativa, aut Transſubſtantiativa, quod tamen volunt Pontificii; ſed factæ jam tantùm mutationis oſtenſiva, aut declarativa. Hoc non dabunt Pontificii. Ita enim aliud aliquod verbum operatorium & Transſubſtantiativum verba, *Hoc eſt corpus meum*, præcedere fuerit neceſſe, cujus virtute panis eſſe deſierit, & corpus Chriſti eſſe cœperit, quod tamen nec agnoſcent illi, nec demonſtrabunt.

IV. Vox *Corporis* non poteſt eſſe operativa per ſe, tum quòd opus potiùs, ut ita loquar, ſit operatum, juxta Pontificios, quàm operans; tum etiam, quòd non panis tantùm, ſed & Eccleſia, Chriſti corpus vocatur, *Epheſ.* 1. 23. *Coloſſ.* 1. 18. non utique per Transſubſtantiationem, ſed per analogiam & ſimilitudem; tum denique,

quia

quia aliud corpus Chriſtus intellexit,aliud fingunt Sacerdotes. Illius fragile erat,mortale, παθητὸν, ut pleniùs poſtea audiemus; hoc glorioſum,&,ut *Gabriel Biel* Lect.4.vocat,impaſſibile. *Etſi,* inquit,*Cœli Regina,& Mundi Domina* (ita B. Virginem appellat) *in gratiæ plenitudine reliquas creaturas ſupergrediatur univerſas; Hierarchis tamen cedit Eccleſiæ, in commiſſi myſterii executione. Illa nempe prolatis octo verbulis:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum; *ſemel concepit Dei filium,& Mundi Redemtorem. Iſti,à Domino conſecrati, quinque verbis contextam conſecrationis formam, cum debita intentione proferentes, eundem Dei Virginiſque Filium advocant quotidie corporaliter in ſacrificium, in criminum purgationem. Illa,perpetua virginitate ſervata,ſummum cœli Principem de ſe incarnatum,*mortalem atq; paſſibilem *mundo edidit Salvatorem Iſti,conſecratione divina eundem cœli terraq; Principem,in Sacramento veriſſimè contentum,*impaſſibilem,glorioſúmque *contrectant,victorem mortis & barathri deſtructorem.*

V. *Conjunctim* conſecrationis verba Transſubſtantiationi non velificantur. 1.Tota actione Chriſtus inſtituit Sacramentum. E. nullus hic Transſubſtantiationi locus. *Antecedens* ſua luce claret. *Conſequentiæ* robur dependet a. ab inductione omnium Sacramentorum. In

nullo Sacramento vel V. vel N Teſtamenti datur, aut dari poteſt Transſubſtantiatio, neque in Circumciſione, neque agno Paſchali, nec Baptiſmo; E. neque in Cœna Domini. De *Circumciſione* dicitur, quòd ſit fœdus in carne Iſraëlitarum, *Gen.* 17; de *agno*, quòd ſit tranſitus. Neutrum tamen per hanc formulam transſubſtantiatur. *Baptiſmus* vocatur lavacrum regenerationis, neque tamen in ſanguinem Chriſti, quo ſolo à peccatis abluimur, transſubſtantiatur. b. A natura Sacramentorum, de qua Auguſtinus in Johannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ponit, non tollit elementum Auguſtinus in Sacramento, quod tamen per Transſubſtantiationem fieri neceſſe eſt. 2. Si hac conſecratione Sacramentali fiet Transſubſtantiatio, incurret illa in ſenſus. At non incurrit in ſenſus. *Ratio conſequentiæ*, quia nullius Transſubſtantiationis Adverſarii dabunt exemplum, quod ab hac regula excipiatur. Cùm aqua mutata eſſet in vinum, *Joh.* 2. guſtu illam mutationem architriclinus probavit, v. 9. Pulvis converſus fuit in pediculos per totam terram Ægyptiorum, *Exod.* 8. verſ. 16. & extitit pediculorum copia in hominibus]& jumentis, verſ. 7. Voluit Deus, ut converterentur aquæ in ſanguinem, cap. 7. verſ. 22. & converſæ ſunt omnes aquæ, quæ erant in uno quoque rivo in ſanguinem, &c. Hæc ratio Transſubſtantiationis eſt, quam Spiritus ſanctus propterea con-

ſtan-

ſtanter obſervare voluit, ut Divinæ potentiæ Majeſtas, quæ in illa maximè lucet, omnibus tam fidelibus, quàm infidelibus redderetur manifeſtior. 3. Si verba Inſtitutionis conjunctim ſumta panem commutant in Corpus, mutatio illa aut erit *naturalis*, aut *magica*, aut *miraculoſa*. Si *Naturalis*, dent rationem, cur ſoli Sacerdotes, & non quilibet alii hoc Transſubſtantiandi habeant beneficium. *Magicam* dicent? Blaſphemiæ reatum non declinabunt; quamvis valde dura, & tanto myſterio indigna ſint verba *Gabriel. Biel*, Can. Miſſ. Lect. 4. p. 8. *Breviter annotandum, quid in Miſſa celebratione Sacerdos ſua virtute efficiat; circa quod advertendum, quòd aliquid ab alio effici, vel fieri, tripliciter poteſt accipi. Nam aliquid dicitur ab alio fieri vel naturali poteſtate, vel meritoriâ operatione, vel aſſiſtente Virtute &c. Tertio modo* (quo poſtea probat Transſubſtantiationem fieri) *aliquid dicitur ab aliquo fieri aliqua Virtute occulta, non inſiſtente ei, à quo tale fieri dicitur, ſed aſſiſtente, ſecundùm quem modum malefici & incantatores quoſdam effectus producere dicuntur*, & extrahere lac vaccarum de ſedibus, ſeu manubriis ſecurium, *quod fit non virtute naturali maleficorum, neque ex eorum merito, ſed Virtute occulta, ſive bona ſive mala aſſiſtente*. Sed *miraculoſam* relinquamus. Atque ſic Transſubſtantiatio, quæ fit ordinariè, miraculum erit. *Miraculum* autem eſſe non po-

teſt. 1. Miraculum in ſpectatoribus vel evidentem (propter manifeſtam rei mutationem, quâ, ex gratia extraordinariæ providentiæ Divinæ gubernatione illa, fiat, quod naturâ & ordinario curſu eſſe non poterat) excitat admirationem, vel notorium, & in ſenſus incurrens affert commodum. At neutrum præſtant ſymbola Sacramentalia, opinione Tranſſubſtantiata. E. *Antecedens* ex Auguſtino mutuabimus. *Miraculum,* inquit, de utilit. credend. ad Honorat. c.16. voco, quicquid arduum, aut inſolitum, ſupra ſpem, vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil eſt populis aptius, & omnino ſtultis hominibus, quàm id, quod ſenſibus admovetur. *Sed rurſus hæc in duo dividuntur. Quædam enim ſunt, quæ* ſolam faciunt admirationem, *quædam verò magnam* etiam gratiam benevolentiámque conciliant. *Nam ſi quis volantem hominem cernat, cùm ea res nihil ſpectatori afferat commodi; præter ipſum ſpectaculum; miratur tantummodo. Si quis autem gravi & deſperato morbo affectus, mox, ut juſſum fuerit, convaleſcat, admirationem ſanitatis ſuæ, ſanantis etiam charitate ſuperabit. Talia facta ſunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum ſat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leproſi, inceſſus claudis, cæcis viſus, ſurdis auditus eſt redditus. Homines illius temporis aquam in vinum converſam, ſaturata quinque millia quinque panibus, tranſita pedibus maria, mor-*

tuos

tuos reſurgentes viderunt: Ita quædam corpori manifeſtiori beneficio, quædam verò menti occultiore ſigno, & omnia hominibus majeſtatis teſtimonio conſulebant ſic in ſe tunc animas errantes mortalium divina commovebat authoritas. Cur, inquis, iſta modò non fiunt? Quia non moverent, niſi mira eſſent? At, ſi ſolita eſſent, mira non eſſent. *Nam diei & noctis vices, & conſtantiſſimum ordinem rerum cœleſtium, annorum quadrifariam converſionem, decedentes redeuntéſq; frondes arboribus, infinitam vim ſeminum, pulchritudinem lucis, colorum, ſonorum, odorum, ſaporúmq; varietates da, qui primum videat atq; ſentiat, cum quo tamen loqui poſſimus, hebeſcit obruitúrq; miraculis: Nos verò hæc omnia non cognoſcendi facilitate, (quid enim cauſis illis obſcurius?) ſed certè ſentiendi aſſiduitate contemnimus.* 2. Miraculorum ergò donum ordinarium ſublatum eſt. *Chryſoſt.* in Pſalm. 142. *Quando notitia Dei nondum erat diffuſa, miracula fiebant, nunc ea docendi forma ampliùs non eſt opus. Et* in Joh. homil. 24. *Cur non hodiéque fiunt miracula? Si infidelis es, ut par eſt te eſſe, & Chriſtum amas, ut amare debes, miraculis non indiges, nam hæc infidelibus dantur.* Eucherius Lugdunenſis, in verba Evangelii Matth. 18. v. 1. *Nobis ſigna & miracula nunc neceſſaria non ſunt, quibus ea, quæ facta ſunt, ſolummodo legere & audire ſufficit. Credimus enim Evangelio, credimus & Scripturis iſta narrantibus.* 3. Miraculoſam

corporis Chriſti præſentiam ab ordinaria Tranſſubſtantiatione Adverſarii diſtinguunt; ceu patet ex illis Scriptoribus, qui nobis modò puerulos incarnatos, modò ſanguinem madentem, labia & manus ſqualentia &c. modò ad Paſtorum conſecrationem offas carnis oſtendunt; adeóq; veritatem Tranſſubſtantiationis probaturi, damnatas illas, & impiè Veteribus Chriſtianis impactas *ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, carnium humanarum comeſturas* revocant. Carnem & ſanguinem humanum; quem & fundere, & edere Deus adeò ſeverè in V.T. prohibuerat; in dulciſſimo Servatore licitum imò religioſum cenſeamus? Terra abſurditatum lerna & ſentina, à quibus mens pia, & Chriſtianiſmi ſancta myſteria planè abhorrent! Quanquam ne ſic quidem quicquam habeant certi, & ejuſmodi miracula Idololatriæ æquè apertæ, ac devotionis prætextui poſſint inſervire. Unde *Auct. Tract. Corp. Chriſti*: Quæro, *An, ſi appareat caro, vel puer, debeat adorari, ut corpus Chriſti? Dic, quòd non ſimpliciter, ſed ſub conditione poteſt, quòd ſæpe Angelus Sathanæ ſe transfert in lucis Angelum, & per talem modum illudit hominibus.* Neque verò hic metus vanus eſt, aut inanis. Quid ſuperiori ſeculo in inclyta Berna, occaſione Tragœdiæ Dominicanorum contigerit, ætatis illius Scriptores dubitare nos non ſinunt. Ut apparitionem Barbaræ mancipio ſuo Monachi probarent, literas eidem oſtendunt,

dunt, *ficto Servatoris cruore*, ut author Pontificius loquitur, obſignatas. Sed & *Iohannes*, Monachus Vitoduranus in Annalibus ſuis p. m. 58 refert, ſuo tempore excitatam contra Judæos procellam, *propter* (ipſa recito authoris verba) *quendam Sacerdotem inopia preſſum, qui hoſtiam ſanguine aſperſit, & à ſe projectam juxta Iudæos, eos ſuſpectos reddidit, & graviter infamavit; quæ* (hoſtia) *cùm reverentia maxima ad Eccleſiam prædicti malefici Presbyteri delata & deducta eſſet, & ibi collocata, à populo totius terræ circumpoſitæ frequentabatur, Sacrificiíſque oblationibus devotiſſimè venerabatur, quos Presbyter recipiens multis diebus notabiliter locupletatus eſt. Qui poſtquam populum Chriſtianum diu deluſiſſet ſub ſpecie ſimplicis panis, prætendentis verum corpus Chriſti & conſecratum, tandem nutu Dei proditus fuit, eo mediante, cujus adminiculo id flagitium finxit & perpetravit, in ſuæ animæ, & innumerabilium animarum perditionem. Nam more Ieroboam gentem peccare fecit, dum ſuperſtitionis & Idololatriæ cauſam ſcienter, motus avaritiâ, quæ eſt Idolorum ſervitus, dediſſet. Nam homines panem pro Euchariſtia, quamvis ignoranter, adorabant, ipſo procurante.* Atque hæc quidem ad fundamentum Transſubſtantiationis, quod ex Scriptura oſtendere conantur Adverſarii, in verbis Inſtitutionis. *Paulum*, ut ſpero, niſi tortum, ſuum non

fa-

facient,qui,ut ſupra monuimus,noſter totus eſt. *Rationis* patrocinium Pontificii exſpectare non audent. Quin potiùs uſum ejus, in examine hujus myſterii,totum proſcribunt; quam etiam ancoram, ut ſuo loco audiemus, Vir doctiſſimus, ſed minùs feliciter arripuit. *Antiquitatis conſenſum* poſtea nos urgebimus. Eum Eccleſiæ Romanæ ingenuè ſatis abjudicat *Scoti* ſententia,quâ,teſte *Bellarmino* lib. 3. de Euchariſtia cap. 23. aſſeruit, *Transſubſtantiationem demum in Lateranenſi Concilio* a. Ch. 1215. *inter fidei dogmata eſſe relatam*; cui *Gabriel Biel* accedit,apud *Suarez*. Tom. 3. diſput. 50. ſſ. 1. Quin imò Thomas *Mortonus* (ex *VVidringtono* Pontificio) annotavit,cùm nihil planè ad doctrinam Eccleſiaſticam ſpectans in Concilio Lateranenſi,ex communi Patrum aſſenſu, decretum fuerit,poſſe, ut falſum, impugnari articulum de Transſubſtantiatione; de *Euchariſt. Part* 2. *Claſſ.* 2. Cap. 2. ſſ. 2. Quòd vocabula *tranſmutationis* in Cyrillo Hieroſolymitano, *mutationis,& commutationis* in Ambroſio, *immutationis* in Chryſoſtomo, Vir doctiſſimus, Transſubſtantiationi patrocinari exiſtimat; fallitur. Neque enim ſubſtantialem, ſed accidentalem, non φύσεως, ſed χρήσεως καὶ σχέσεως, inferre mutationem, ipſe etiam *Suarez* obſervavit; Tom. 3. diſp. 50. S. 1. Habent veteres *Græci* voces μεταβολῆς, μεταποιήσεως, μεταῤῥυθμίσεως, & μεταστοιχειώσεως; Latini mutationis,

nis, transmutationis, &c. Sed nihil ad rem facere, non de ſubſtantiali, ſed accidentali ea agere mutatione, non μεταβολῇ φύσεως, ſed χρήσεως; non ἐλαττώσει ὀυσίας, ſed προσθέσει χάριτος, ut loquuntur Patres, & quidem eodem planè modo, quo in hominis regeneratione, pridem à noſtris eſt obſervatum. Ipſum certè μεταστοιχειώσεως vocabulum (quod *Transelementationem* tamen propriè notat, non *Transſubſtantiationē*) ab antiquis fuit uſurpatum Patribus, ad eas mutationes exprimendas ſpirituales, quæ nihil minùs ſonant, quàm ſubſtantiarum & formarum inter ſe transmutationes *Gregorius Nyſſ* in Epiſt. Canon. meminit τῶν ἐκ παλιγγενεσίας μεταστοιχειουμένων, *transelementatorum per regenerationem*; an & μετουσιωμένων *Transſubſtantiatorum?* Negat *Clemens Alexrandrinus*, negat *Irenæus*, negat tota Eccleſia. Et *Clementis* quidem verba ſunt: Καὶ γὰρ διδαχὴ μεταῤῥυθμίζει τὸν ἄνθρωπον· μεταῤῥυθμοῦσα δὲ φυσιοποιεῖ· καὶ διήνεγκεν οὐδὲν, ἢ φύσει πλασθῆναι τοιόν δε, ἢ χρόνῳ, καὶ μαθήσει μεταλυπωθῆναι. Ἄμφω δὲ ὁ Κύριος παρέσχηται· τὸ μὲν κατὰ τὴν δημιουργίαν· τὸ δὲ κατὰ τὴν ἐκ τῆς διαθήκης ἀνάκλησίν τε καὶ ἀνανέωσιν. *Doctrina enim hominem refingit*, (iiſdem etiam verbis Græci Patres, ad exponendam μεταβολὴν Sacramentalem, utuntur) *& tansfigurat. Vbi autem ſic transfiguravit, in alteram quaſi naturam eum convertit. Non enim differt, naturâ formatus fuerit talis, an tempore, & doctri-*

*ctrina transformatus. Vtrumque præſtat Dominus, alterum per creationem, alterum per regenerationem ac renovationem ex Teſtamento.*Stromat.lib. 4. *Irenæus* verò adverſ.Hæreſ. lib. 5. *Quemadmodum oleaſter inſerta, ſubſtantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat,& aliud percipit vocabulum, jam non oleaſter; ſed fructifica olea exiſtens & dicitur: Sic & homo per fidem inſertus,& aſſumens Spiritum Dei, ſubſtantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat,& aliud accipit vocabulum, ſignificans illam, quæ in melius eſt transmutationem, jam non caro & ſanguis, ſed homo ſpiritualis exiſtens & dicitur.*p.453. Talē, non aliam, veteres voluiſſe mutationem, quis dubitet, cùm conſtet, eos alteram per alteram mutationem probâſſe? *Ambroſ.*Ergò,ut tibi reſpondeam,non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem; dico tibi,quod jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit & factum eſt; ipſe mandavit,& creatum eſt. Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura, poſteaquam conſecratus es,nova creatura eſſe cœpiſti. Accipe ergo, quemadmodum ſermò Chriſti creaturam omnem mutare conſueverit,& mutat,quando vult,inſtituta Naturæ. *De ſacram.*l.4.c.4. Ita *Euſebius Emiſſen.*vel potiùs *Eucherius Lugdun.* Homil. de corpore & ſanguine Chriſti. Quanta, *inquit*,& quàm celebranda vis divinæ benedi-

ctionis

ctionis operetur, & quomodo tibi novum & impoſſibile videri non debeat, quòd in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutantur; te ipſum, qui jam Chriſto es regeneratus, interroga. Sed & de Baptiſmi aqua *Cyrillus*, aliique veteres dicebant, eam μεταςοιχειοῦσθαι in virtutem quandam divinam. An per tranſubſtantiationem? Negat *Ephremus* apud Phot. in Bibl. c. 229. Baptiſmus, etſi totus ſit ſpiritualis factus, & unus tantùm exiſtat, proprietatem tamen ſubſtantiæ viſibilis, aquæ nimirum, ſervat, & id quod fuit, eſſe non deſinit. *Hæc ille*.

SECTIO VIII.

Tranſſubſtantiatio apertè contradicit Scripturæ.

I. Hæc de *negatione* Aſſenſûs. *Rejectio* Tranſſubſtantiationis ceu novi dogmatis, traditur iterum diſertis *Scripturæ* verbis, Fidei *Analogiâ*, *Antiquitatis* ſuffragio, & ſobriæ *rationis* conſenſu. *Scripturæ* authoritas hoc commentum tum alibi evertit, tum in eo maximè loco, ubi Sacramenti hujus inſtitutio traditur: id quod ex antitheſi manifeſtiùs emerget. 1. Chriſtus, in Cœna, accepit *panem*, integram maſſam, & eam quidem, quæ frangi potuit, & diſtribui inter diſcipulos. At Tranſſubſtantiationis commentum, ſuperſtitionem etiam namula-

lariorum panum invexit. 2. In Cœna Chriſtus juſſit edere, quod accepit, conſecravit, diſtribuit, id eſt, panem, veram & ſolidam ſubſtantiam. Transſubſtantiatio tantùm porrigit accidentia, ſive ſpeciem panis. 3. Chriſtus dicit, *Hoc eſt Corpus meum*, non effectivè panem mutando in corpus, ſed indicativè tantùm. Dicit, quid ſit, quod porrexit, non quid futurum eſſet. 4. Detur exemplum, verbo copulativo *Eſt*, uſpiam, in tota Scriptura, virtutem tribui effectivam, vel operativam. Novum ergo, peregrinum, inuſitatum in Transſubſtantiatione verba induunt ſignificatum. 5. In Cœna Domini illud corpus manducatur, quod ex Beata Maria Virgine natũ, diſcipulis ita tradebatur, ut tamen paulò pòſt frangi potuerit & crucifigi. At Transſubſtantiatio novum quotidie, ex pane creatum, format corpus, neque fractioni, neque ulli paſſioni amplius obnoxium. 6. Illud ipſum numero corpus manducandum nobis in Cœna præbetur, quod ſuis præbuit diſcipulis Chriſtus: *Id ipſum enim Apoſtoli tradiderunt, quod à Domino acceperunt*, 1. Cor. 11. 23. At *corpus* illud, quod viſibiliter, ſubſtantialiter & realiter fractum pro nobis eſt, *ſanguis*, qui viſibiliter, realiter effuſus eſt; frangi & fundi propriè eadem numero amplius non poſſunt. Corpus Chriſti pati amplius non poteſt: ſanguis verò ejus in terram effuſus non ſervatus eſt, nec poſtea in corpus rediit; ſed more aliorum hominum ſanguinis exani-

exaruit. 7. Illud diſcipulis manducandum erat corpus,& ille bibendus ſanguis; de quo in præſenti enuntiavit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis frangitur; Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Atqui accumbentis tum corpus nec propriè frangebatur, nec ſanguis effundebatur: utrumque paulò pòſt fieri debuit. 8. Tale corpus in verbis inſtitutionis intelligitur,quale Chriſtus dedit diſcipulis. At proprium & eſſentiale corpus, verè & realiter manducandum non dedit.Nam a. Illud accubuit menſæ. b. Ediſſet ſuum ipſius corpus, & bibiſſet ſuum ipſius ſanguinem,& quidem in remiſſionem peccatorum, *Illud* abſurdum; *hoc* plaſphemum eſt. Vide *Marc*. 14.25 coll. *Luc*.24.15.18.c.Mortuus,diſcerptus,laceratus, deſtructus,(nulla enim manducatio oralis ſalvo Subjecto dari poteſt) Chriſtus fuiſſet ante mortem,i. e. antè divinitùs deſtinatum crucis maledictæ ſupplicium,quum tamen S.Scriptura de una morte expiatoria ubique, præſertim in Epiſtola ad Hebræos, loquatur. d. Habuiſſet duo corpora, alterum transſubſtantiatum ex pane, alterum transſubſtantians conſecratione; vel ſi unum velint tantùm, ſimul geſtans & geſtatum, agens & patiens,quód eodem tempore & reſpectu fieri non poteſt. 9. Illius corporis Chriſtus dedit Sacramentum diſcipulis, quod frangendum poſtea demum & lacerandum militum erat manibus. *Cyprian*. lib.de unctione Chriſ-

F mat,

mat. *Dedit itaque Dominus noſter in menſa, in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convivium, propriis manibus panem & vinum, in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum, ut in Apoſtolis ſecretius impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas exponeret Gentibus, quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſa effectibus convenirent, & diverſa nomina vel ſpecies ad unam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata iisdem cenſerentur vocabulis.* Panem & vinum revera dediſſe in Cœna Apoſtolis, dicit; corpus verò militibus in cruce vulnerandum. 10. Chriſtus in Cœna Sacramentum inſtituit corporis ſui veri, circumſcripti, mortalis, imò, per figuram fracti panis, pro peccatis noſtri mortui. Unde Evangeliſtæ Græcam vocem σώματος adhibent, quæ de exangui propriè dicitur corpore & exanimi. Hinc Græcorum Philologi: Σῶμα πᾶν τὸ τεθνηκὸς παρὰ τοῖς παλαιοῖς; δέμας δὲ τοῦ ζῶντος λέγεται, διὰ τὸ συνδεδέσθαι τῇ ψυχῇ, *Hac vox σῶμα apud antiquos de omni exanimi dicitur; δέμας de vivente, quod colligatur cum anima.* Hoc ſenſu ſumitur in T. N. *Matth.* 14. 12. *Luc.* 17. 37. Ita Latinè *Corpora defunctorum*. LXX. hinc inde pro voce גוף uſurpant, quod vocabulum in manducatione agni Paſchalis veteres judæi, ut ſupra p. 29. monuimus, etiam adhibebant. Sed & Syriaca vocula פגרא, quam retinent Evangeliſtæ,

liſtæ, propria & nativa ſignificatione *corpus exanime* ſignificat, idque ex uſu primitivi Hebraici, de quo Hebræorum doctiſſimus, R. D. *Kimchius*: הפגר הוא הגוף בלא רוח Pægær *corpus denotat inanime*; Lib. radic. Tale nobis Chriſtus in Cœna ſua commendat corpus: at in Transſubſtantiatione glorioſum, omniſque paſſionis expers cœlo eliciunt, dum, ut Patres loquuntur Tridentini, *ſtatim poſt conſecrationem, verum Chriſti corpus, verumque ejus ſanguinem, ſub panis & vini ſpecie, una cum ipſius anima & divinitate* concipiunt. 11. Chriſtus S. Cœnæ Sacramentum inſtitui voluit in ſui ἀνάμνησιν, *recordationem*, Luc. 22. 19. E. noluit fieri Transſubſtantiationem. Abſentium enim, non præſentium memoriam habendam, ipſe clara antitheſi docet Chriſtus, *Matth.* 26. 11. *Marc.* 14. 17. quam *Auguſtinus*, in præſenti etiam materia urget. Quod de *præſentium recordatione* confingunt adverſarii, in theſi ſatis eſt infirmum; in hypotheſi verò falſum. Ad animum enim revocare deberent, hanc propterea formulam εἰς ἀνάμνησιν in memoriam, recordationem; ordinariam eſſe Sacramentorum appendicem, ut conſtaret nobis, inſtituta ea eſſe ad celebrandam beneficiorum Dei in nos collatorum memoriam. Indignum valde eſt, diſputare de novo, inſolito, abſurdo vocis uſu, ubi, Veteris & recepti, Auctorem & Interpretem habemus ipſum Spiritum ſanctum.

12. Sanguis vocatur *Novum Teſtamentum*, non Tranſſubſtantiatione, ſed ſignificatione, E. & *panis*, *corpus* Chriſti eſt, ſignificatione. Cujus argumenti vim non videmus ullo poſſe modo eludi, infirmari aut infringi. Cur enim alio ſenſu *panis* dicatur *corpus*, quàm *ſanguis* Novum *Teſtamentum*, cùm evidentiſſima utrobique ſit Tropologiæ ratio, non in eodem tantùm capite, ſed in eadem planè materia? 13. Tranſſubſtantiatio fingit & comminiſcitur concomitantiam. Ea verò inſtitutioni Dominicæ repugnat. Duo enim Chriſtus adhibuit elementa, panem & vinum. Duo etiam nobis commendavit, duo Apoſtoli tradiderunt, duo Eccleſia primitiva per aliquot ſecula conſtanter retinuit.

II. Hæc, ex Verbis *Inſtitutionis* depromta, argumenta in Praxi Apoſtolica redeunt omnia, Pauli præſertim repetitione, inſtituta. 1. *Cor*. XI. ubi, poſtquam Chriſti verba inſtitutiva Apoſtolus ſemel repetiiſſet, nunquam deinceps amplius impropriæ illius propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, meminit; ſed ſemper, & quidem quinquies, etiam poſt conſecrationem, panem nobis introducit, non communem, ut rectè diſtinguit *Iren*. lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 34. non λιτὸν, ut *Cyrill. Hieroſol.* Catecheſ. Myſt. 3. loquitur; ſed Sacramentalem. Et ut clariùs mentem ſuam, Gentium Apoſtolus exprimeret, à contrariis menſis, Chriſti & Belialis,

Do-

Domini & Dæmoniorum argumentum ſuum accerſit. Ab Idolothytis enim Corinthios ſuos capite præcedenti Paulus dehortaturus, *Poculum benedictionis, cui benedicimus*, ait, *eſſe communionem ſanguinis Chriſti*; an per Transſubſtantiationem? Non, ſed per communicationem, participationem, conteſſerationem, prout Idolothyta communio vocantur Dæmoniorum.

III. Miror equidem, adeò ſibi adverſarios multum de præſenti Pauli textu, voce præſertim *communionis*, polliceri, cùm, ſi ſcopum & intentionem, adeóque Pauli argumentationem ſpectemus, vix in Scriptura locus figuratam loquendi rationem verborum; *Hoc eſt corpus meum*, ſolidiùs ſtabiliat. Apoſtoli mens & ſententia eſt: Ἀσύστατον eſſe, & una ſede morari non poſſe, Chriſti eſſe, & Belialis; comunionem habere cum menſa Domini & Dæmoniorum; ſacris intereſſe Chriſtianis, & ſimul litare Idolis: quem Samaritaniſmum quidam ex Corinthiis introducere voluiſſe videbantur. Per legitimum Cœnæ Dominicæ uſum, tanquam notam, teſſeram, ſymbolum, communionem alios habere cum Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt; per Idolothytorum verò participationem, alios membra fieri Synagogæ Diaboli. Mixturam ex duobus, ſalvo Chriſtianiſmo, ne quidem tentandam, ſequenti, eáque manifeſta Paulus probat argumentatione: *Qui unus ſunt panis, unum*

corpus,illi etiam in una communione cum Chriſto, communioniſque publica conteſſeratione, quæ fit per conſecratum poculum & fractum panem debent acquieſcere,cum aliis ſe non miſcere, verſ. 16. 17. At *vos*(Corinthii)*unus eſtis panis,unum corpus,quia omnes ex uno pane participatis*,verſ 17.Quod iterum confirmat aſſumtum, 1. *Cor*. 12. 13 *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus ſumus baptizati,& una omnes potione potionati ſumus in unum Spiritum*. Quid igitur abſurdius fuerit, & à ſcopo Pauli alienius quàm dicere,*communionem* corporis Chriſti, ipſum transſubſtantiatum eſſe corpus, cùm *corpus* & *communio* differant, ut abſolutum & relatum ; & ipſe panis fractus,ſeu fractio panis,eo ſenſu,ſit corporis Chriſti communio, quo participatio Idolothytorum,communio eſt Dæmoniorum,nempe *ſymbolicè*, & Characteriſticè? Ut ergo alibi legimus, fideles habere κοινωνίαν ſeu communionem cum Patre & Filio ejus Jeſu Chriſto, 1.*Ioh*. 1. verſ. 3. dicuntur vocati ad communionem Jeſu Chriſti, *1.Cor.1.9*. ita quando Paulus hoc loco ſcribit, panem, quem frangunt Chriſtiani, eſſe communionem corporis Chriſti, aliud nihil intendit,quàm,eos communionem habere cum Cœtu Dominico, cujus ſymbolum ſit fractio panis.

Sectio

SECTIO IX.

De vero Scopo Concionis Dominicæ Joh. C. VI. eámque Transſubſtantiationi non favere, ne quidem à v. 48.

I. Atque hæc de *Praxi* Eccleſiæ Apoſtolicæ: Supereſt inſignis Chriſti concio, *Joh.* C. VI. præſertim à v. 48. (de præcedentibus enim nobis magnam litem adverſarii non movent) in qua Vir doctiſſimus cauſæ ſuæ primarium oſtendit præſidium, ſed fruſtra, uti audiemus. Ut autem de loci hujus genuino nobis conſtet ſenſu, notandum, 1. *Dari manducationem myſticam & ſpiritualem*, quæ fidei tantùm ſit, eámque veram & realem. 2. *Illam à Sacramentali manducatione differre.* 3. *Hoc loco non agi de Sacramentali, ſed myſtica manducatione, quod ex Pontificiis Doctoribus graviſſimi quiq; aſſerunt, & iis quidem innixi rationibus, quibus & nos haud gravatim ſubſcribere poſſumus, quæq; à cæteris, ſecus ſentientibus, nec ſatis ſunt expenſæ, nec ſolidè refutatæ.* 4. *Pontificios, qui de manducatione Sacramentali locum intelligunt, Transſubſtantiationem ſuam præſentiſſimo exponere periculo.* 5. *Magnam tamen hunc locum afferre lucem explicandæ do-*

ctrinæ de manducatione Sacramentali, adeóque ingens noſtræ aſſertioni afferre pondus.

II. A. Duo ſunt primæ obſervationis noſtræ lemmata, *alterum*, dari manducationem myſticam ſive Spiritualem, quæ fidei tantùm ſit; *alterum*, veram illam eſſe, non fictitiam, aut imaginariam, ut probroſè nobis objiciunt, qui nullam realitatem agnoſcunt, niſi quæ præſentiam præſupponat corporalem, eſſentialem, localem. *Manducationem dari Spiritualem*, Chriſtiani tam non debent dubitare, quàm perſuaſum habere poſſunt, dari vitam Spiritualem, generationem Spiritualem, incrementa Spiritualia. Hæc ſi tibi in hac vita ademeris, alteram, cæleſtem, æternam nunquam poſſidebis. Sed quia etiamnum Sadducæorum quædam ſupereſt propago, quæ ſi Angelos & Spiritus phyſicè non tollat, Theologicè tamen, quid Spiritualis vel vita vel manducatio ſit, ignorat, eam ſcepticè cavillatur, impiè ſugillat, exoſæ novitatis larvam ei induit, antiquitatem ſolicitare, & quàm noſtris nihil hactenus vel quoad phraſin, vel quo ad rem, exciderit, quod primitivæ Eccleſiæ calculo receptum non fuerit, Doctorum antiquiſſimorum experiri lubet evidentiſſimis verbis. *Primò* ergò cum Eccleſia primitiva loquimur, quando *Manducare* idem nobis eſt, quod *credere*. Ita Chriſtus ipſe explicat *Joh.* 6. v. 35. coll. cum 64. Ita Patres, *Auguſt.* T. IX. Tractat. 25. in Joh. Dixerunt ergò ad eum: Quid faciemus,

ut operemur opera Dei? *Dixerat enim illis:* Operamini eſcam,non quæ perit,ſed quæ permanet in vitam æternam. *Quid faciemus, inquiunt? Quid obſervando hoc, præceptum implere poterimus? Reſpondit Jeſus,& dixit eis: Hoc eſt opus Dei,ut credatis in eum,quem miſit ille. Hoc eſt ergo manducare cibum,non qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam.* Ut quid paras dentes & ventrem? Crede & manducâſti. Ipſe hic locus citatur de *Conſecrat.* Diſt. 2. cap. *Vt quid* &c. Ex quo colligimus 1. ex mente Auguſtini, *credere* & *manducare* eſſe æquipollentia. Atque hoc ipſum eſt,quod urgemus. 2. Manducationem Spiritualem,naturali per dentes,opponi. Reprehenſio enim tacita eſt: *Vt quid paras dentes & ventrem?* 3. Cibum hunc cœleſtem, quem daturus eſt Chriſtus,v. 27. eundem eſſe cum pane cœleſti v. 31. carne & ſanguine Chriſti verſ. 54. 4. Adeóque *credere*, verſ. 29. & 35. *operari in cibo, qui non perit*, v. 27. *edere panem vitæ*, v. 35. planè idem eſſe. 5. Non ergò Judæis tantùm,ſed & omnibus,qui de cibo hoc cœleſti non rectè ſentiunt,dictum voluit Auguſtinus, *ut quid paras dentes?* &c Alter itidem Auguſtini locus nobis impendio favet,ex initio *Tractat.* 26. *Daturus ergo Dominus Spiritum ſanctum dixit,ſe panem,qui de cœlo deſcendit,hortans, ut credamus in eum.* Credere enim in eum,hoc eſt manducare panem vivum. *Qui credit in eum,mandu-*

cat; inviſibiliter ſaginatur, quia inviſibiliter renaſcitur. Infans intus eſt, novus intus eſt, ubi novellatur, ibi ſatiatur. Nihil hactenus opponi potuit aut oppoſitum eſt, quod noſtram infringat theſin. Clara apud Auguſtinum extant verba, *edere Chriſti carnem*, & *credere in eum*, eſſe æquipollentia. Quæ enim ad præſentem locum vir doctiſſimus excepit, ad circumſtantiarum potiùs varietatem pertinent, quàm ipſius ſubſtantiæ veritatem. 2. *Spiritualem hanc manducationem Spirituali reſpondere generationi*, i.e. regenerationi. Clem. Alexand. Pæd. lib. 1. cap. 6. *Quemadmodum autem regeneratio convenienter, ita etiam* (corpus Chriſti) *cibus homini factus Spiritualis.* 3. *Cibus hic totus eſt Spiritualis.* Athanaſ. Orat. in illud: Quicunque dixerit verbum &c. *Propterea* (Joh. 6, verſ. 62.) *Filii hominis in cœlos aſcenſionis mentionem fecit, ut à corporali eos cogitatione abſtraheret, ac deinde carnem ſuam, de qua loquutus erat, cibum è ſupernis cœleſtem & Spiritualem alimoniam ab ipſo datam intelligerent. Quæ enim loquutus ſum vobis*, inquit, *Spiritus ſunt & vita ſunt, quod perinde eſt ac ſi diceret: Quod oſtenditur & datur, pro mundo, in cibum dabitur, ut Spiritualiter unicuique tribuatur, & ſingulis munimentum ad reſurrectionem vitæ æternæ fiat.* 4. *Guſtus Spiritualis.* Baſil. in Pſalm. 33. *Quandoquidem verò verus panis Dominus noſter, & caro ejus verus cibus, neceſſe eſt,*

eſt,ut voluptas lætitiæ panis per guſtum Spiritualem in nobis gignatur. 5. *Os ſpirituale.* Idem ibid: *Eſt os quoddam Spirituale hominis interni,quo nutritur,dum particeps fit verbi vitæ,quod eſt panis,qui de cœlo deſcendit* Cyrill. Alexand. Anathemat. Apoll. XI. Concil. t. 1. part. 2. *Noſtrum itaque Sacramentum non docet hominum eſcam,nefariè edentium,mentem ad evanidas cogitationes adigens, & ratiocinationibus humanis ea ſubjicere cogitans, quæ ſola & indiſcuſſa,ſeu indubitata fide accipiuntur.* 6. Effectus Spirituales,ut ſunt,a. *Spiritualis nutritio. Cibo Spirituali,ſeu Euchariſtia ſanguis carnéſque noſtra,ſecundùm mutationem* (non Phyſicam ſubſtantiæ, ſed moralem uſûs & ſignificationis) *aluntur*; Juſtin. Martyr. Apol. 2. b. Eſt *unctio* (*quam* conviviis Veteres adhibere ſolebant) *Spiritualis. Duplex,* inquit Clem. Alexand. Pædag. lib. 2. cap. 2. *eſt ſanguis Domini,alter quidem carnalis,quo redemti ſumus ab interitu; alter vero Spiritualis,quo ſcilicet uncti ſumus. Et hoc eſt bibere ſanguinem Ieſu, Dominicæ immortalitatis participem fieri.* c. *Communio ejusdem,cum Chriſto naturæ.* Cyrill. Hieroſol. Myſt 4. *Divinorum myſteriorum participes, corporis & ſanguinis Chriſti compotes facti eſtis.* d. *Coalitio in unum Corpus.* Chryſoſt. Homil. 24. in

in 1. Corinth. T. 3. *Sumus illud ipſum corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt, quid ſumunt? Corpus Chriſti. Quemadmodum enim panis ex multis granis compoſitus, unitus eſt, ut nuſquam appareant grana, ſed ſint quidem ipſa, non autem manifeſta ſit eorum differentia, propter conjunctionem; ita etiam inter nos, & cum Chriſto conjungimur.* Et Hom. 82. in Matth. *Re ipſa nos corpus ſuum facit.* Item: *Nos facti ſumus corpus Chriſti & una ro.* Gregor. Nyſſen. Homil. 8. in Eccleſ. *Propterea nobis ſeipſum eſculentum proponit is, qui ſemper eſt, ut cùm ipſum in nos ipſos receperimus, illud fiamus, quod ipſe eſt.* 7. Hæc verò nec per contactum fit, nec per Transſubſtantiationem, aut quamlibet præſentiam localem; ſed fidei apprehenſionem. *Noſtra* (ita Cyprianus ſerm. de Cœn. Dom.) *& ipſius conjunctio nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates.* Auguſt. tract. 50. in Joh. *Quomodo abſentem tenebo? Quomodo in cœlum manum mittam ut ibi ſedentem teneam? Fidem mitte & tenuiſti.* Item: *Secundùm præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis*; Me autem non ſemper habebitis. Idem in 1. Joh. Epiſt. *Dominum jam in cœlo ſedentem manu contrectare non poſſumus, ſed fide contingere. Quemadmodum Chriſtus in nobis hîc, ita nos ibi in illo ſumus.* Placuit hæc diſtinctè Patrum verbis pro-

po-

ponere,ut,quid & qualis iſta ſit manducatio corporis Chriſti Spiritualis, de qua ipſe Servator diſertè Johannis Cap. 6.agit,illi qui litem hic nobis & controverſiam movent, intelligant: ſimúlque Reformatis ejusmodi manducationem, velut figmentum cerebri humani, & ridiculum commentum,objicere deſinant.

III Neque enim, ut de veritate manducationis ſpiritualis aliquid adhuc addamus, corpus & ſanguis Chriſti, vera percepta fide, minùs ſunt verus cibus, & verus potus animæ,quàm panis & vinum;utriuſque ſymbola; ſunt alimenta corporis ſuſtentationi deſtinata. Non ſunt imaginariæ aut phantaſticæ operationes fidei,ſed,ut ita loquar,realiſſimæ. *Fides eſt illud,quo extant, quæ ſperantur, & quæ demonſtrat,quæ non videntur*; Heb. 11. verſ. 1. Fide Spiritualiter vivimus,*Rom*. 7. 17. *Gal*. 2. 20. & 3. 11. *Heb*. 10. 38. Fides eſt *oculus*,quo Chriſtum pro nobis crucifixum, ſanguinémque ejus pro peccatis fuſum;etiam remotiſſimum,ſive loco, ſive tempore;& quidem tanquam depictum *Ioh*. 8.v. 56.*Gal*. 3.v. 1. intuemur. Fides eſt *manus*, qua ſola Chriſtum,ejúſque meritum fidelis amplectitur, & per quam ſolam juſtificatur;*Rom*.3. v.28.*Gal*.2.16. Fides eſt *os*,quo anima famelica Chriſtum, cœleſtem panem,accipit,& ad ſufficientem, ſalutarémque alimoniam,magna aviditate, comedit; *Ioh*.6. Fides ſacram carnis & ſanguinis Domini communicationem ita celebrat,

brat, realémque agnoſcit, quaſi in oſſa & medullas penetraret. Unde eximii præterea fructus, ex arctiſſima cum Chriſto per fidem unione emergentes. Eſt ventilabrum illud, quo noſtra purgantur corda. *Act.* 15.9. Eſt ſanctiſſimum illud philtrum, quod Deo nos placere facit, *Heb.* 11.6. noſtráque ei opera grata reddit *Gen.* 4.5. coll. *Heb.* 11.4. Hæc denique nobis vitam confert æternam, *Ioh.* 3.15.16. cap. 6. v 35.40.47. cap. 10.9. Fidei igitur ὑπόστασις, fidei ſubſtantia, & realiſſima realitas, fundamentum eſt veræ & realis manducationis Spiritualis, quam Servator noſter tam prolixè nobis præſenti Johannis loco commendat.

IV. B. Neque tamen *manducationem Spiritualem cum Sacramentali prorſus eſſe eandem*, ex inſtituta utriuſque collatione, manifeſtum erit. Differunt enim I. Ratione *materiæ externæ* ſive ſymbolorum: Sacramentalis enim, ut videmus, ſymbola ſua habet, panem & vinum, *Matth.* 26. Myſtica verò ſymbolis caret: imò ut in illa ſymbolum nomen rei ſignificatæ, ita in hac res ſignificata ſymboli nomen obtinet. Carnem enim ſuam Chriſtus panem vocat, verſ. 51. II. Ratione *formæ externæ* tam ſubſtantialis, quàm Accidentalis. In *Sacramentali* manducatione verba *præceptiva, determinativa* & *explicantia*: actio etiam fractionis, diſtributionis obſervantur &c. In *myſtica* hi actus diſtincti non requiruntur: imo,

præ-

præmiſſa externorum ſymbolorum ſeu elementorum rejectione (occaſio enim deſumta eſt à miraculoſa tum Mannæ, tum exigui panum commeatûs virtute, quibus cibum efficaciorem longè, panem nempe cœleſtem, ſeipſum, opponit) rem Spiritualem ejúsque participationem, manducandi, bibendi; credendi, veniendi verbis Chriſtus exprimit. III. Ratione *finis partialis*, qui in Cœna eſt, ἀνάμνησις, *recordatio* mortis Chriſti, *Luc.* 21. 19. 1. *Cor.* 11. 15. In manducatione Spirituali eſt myſtica illa unio de qua verſ. 56. *Qui edit carnem meam, bibit ſanguinem meum, ille manet in me, & ego in ipſo.* In Cœna Domini σχέσις non tantùm obſervatur inter Chriſtum & fideles, ſed & fidelium inter ſe 1. *Cor.* 11. At, ex myſtica manducatione Chriſti tantùm & fidelium unio colligitur. IV. Ratione *effectorum*. Participationis Sacramentalis effecta alia *per ſe* ſunt, alia *per accidens*. Neque enim, malitiâ communicantium, ſuum ſemper illa aſſequitur fructum; Spiritualis verò manducatio fine ſuo nunquam fruſtratur. Unde Servator cauſam cum effectu indivulſo nexu conjungit. Vide v. 51. 55. 56. 57. Vitam æternam, reſurrectionem ad vitam, mutuam περιχώρησιν pollicetur omni, Spiritualiter ſe manducanti, id eſt, ut v. 44. explicatur, *ad ſe venienti*, & verſ, 47. *credenti*. Hæc enim omnia eſſe συνώνυμα, ex locorum circumſtantiis apparet. Atqui hæc cum Sacramentali mandu-

ca-

catione, omnium reſpectu ſubjectorum, reciprocari non poſſunt. Neque enim qui *panem Domini*, ſed qui *panem Dominum* edunt, eximiorum illorum fructuum participes ſunt. Unde *Auguſtinus* de verbis Domini in Evangelio, ſecundùm Matthæum ſerm. II. *Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant, & ſanguinem bibunt, vel cùm manducaverint & biberint, apoſtatæ ſiunt. Numquid manent in Chriſto, aut Chriſtus in eis? Sed profectò eſt quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum ſanguinem, quo modo qui manducaverit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Non ergo quocunque modò quiſquam manducaverit carnem Chriſti, & biberit ſanguinem Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus, ſed certo quodam modo, quem modum ipſe utique videbat, quando iſta dicebat.* Ibid. *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi ſumus? Numquid etiam illos hîc poſſumus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quòd judicium ſibi manducent & bibant, cùm ipſam carnem manducent & ſanguinem bibant? Numquid & Iudas, Magiſtri venditor & traditor impius, quamvis primum ipſum manibus ejus confectum Sacramentum, carnis & ſanguinis ejus cum cæteris diſcipulis, ſicut apertiùs Lucas Evangeliſta declarat, manducaret & biberet, manſit in Chriſto & Chriſtus in eo.*

eo. Et alibi: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Oſtendit, quid ſit, non Sacramento tenus, ſed revera corpus Chriſti manducare, & ejus ſanguinem bibere, hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum*. De Civit. Dei lib. 21. cap. 25. V. Sacramentalis manducatio vocatur σύναξις, congregatio, quòd in loco congregationis eſſet inſtituenda, vid. 1. *Cor*. 11. In myſtica verò, ipſe qui manducat, templum Chriſti eſt, & Spiritûs ſancti. Ad nullum ſive publicum illa reſtringitur locum, ſive privatum; ſed, prout (ita *Ioh*. 4. 23. legimus) cœtus Chriſtianorum Proſeuchæ ſunt, ubicunque Deus in Spiritu & Veritate adoratur: Ita & manducatio Spiritualis, ab omni locorum deſcriptione libera eſt. Unde univerſalitas: *Quisquis ederit*; *Quisquis crediderit* &c. VI. *Subjecti* etiam ratione manducatio per Johannem deſcripta, à Sacramentali differt. *Illius* Subjectum ſunt veri fideles tantùm, illi nempe, qui deſcribuntur verſ. 51. 56. 57. *Hujus* verò vocati, quamdiu publicis ſcandalis & impietate vitæ, his ſe ſacris ipſi non arcent. Unde vocatio ad Convivium Sacramentale, *conditionata* eſt, officium jubens; ad myſticam manducationem invitans, ſtipulatoria beneficii, *abſoluta*.

G VII.

VII. *Adjunctorum* etiam reſpectu differunt. 1. *Temporis*; Manducatio Sacramentalis, vel ſingulis diebus, vel diebus Dominicis. vel diebus feſtis in Eccleſia primitiva celebrari conſueverat: manducatio hæc vel ſingulis momentis, domi, foris, belli, ruri, locum habere poteſt inter ultimos agonizantium halitus. 2. *Neceſſitatis*. Manducatio Spiritualis ad ſalutem ſimpliciter in adultis neceſſaria: Sacramentalis non item. 3. *Amplitudinis*. Amplior eſt uſus, reſpectu Subjecti, manducationis Sacramentalis, quàm Spiritualis.

IV. C. Satis, ut cætera mittamus; quæ diximus, probant Johannis Cap. VI. non de Cœna agi propriè, ſed de manducatione myſtica & Spirituali, quæ ab illa tot reſpectibus differt: Eadem & à Patribus, ut poſtea audiemus, recepta eſt ſententia, & in quam *Adverſarii nonnulli, viri graviſſimi, manibus pedibúſque concedunt*; adeò, ut audax nimis Coffetæi Pontificii effatum ſit: *Conſtanter opinari omnes Catholicos* (Papiſtas ſic appellat) *in hoc ſexto capite peculiariter de Euchariſtia ſermonem eſſe*. Errat bonus vir, non modò aliter, & nobiſcum quidem, ſentiunt *Gabriel Biel* in Canonem Lect. 84. p. m. 251. b. *Nicolaus Cuſanus*, Epiſt. 7. ad *Bohemos*; *Cajetanus* Part. 3. quæſt. 80. art. 8. *Iohannes Heſſelius*, lib. de communione ſub utraque ſpecie. *Ianſenius* cap. 59. Concord. Evangel. *Ruardus Tapperus*, Artic. 15. *VValdenſis*, T. 2. de Sacramentis. cap. 91. *Iohannes*

de Raguſio, de Communione ſub utraque. *Armacanus*, lib. 9. c. 8. Sed & *Iohannes Ferus* in c. 6. Johannis, & *Aeneas Silvius*, Epiſt. 130. circa medium. Qui quidem non modò agnoſcunt, hoc caput de Sacramentali manducatione non agere, ſed & rationes luculentas aſſertioni ſuæ addunt; incommoda, quæ ad Eccleſiam Romanam inde redundant, detegunt; objectionéſque fidei domeſticorum refutant. Nos, quia tam manifeſtus conſenſus cauſæ noſtræ non uno expedit nomine, unum tantùm & alterum audiemus, diſertiſſimè de hac manducatione, ex mente & ore Reformatorum, quo ad præſentem Controverſiam, loquentes. *Gabrielis Biel* verba ſunt: Ad Joh. 6. *Niſi manducaveritis* &c. dicitur; *quòd in toto illo capite Dominus loquitur de manducatione & bibitione Spirituali, quæ non diſtinguuntur: quia, qui manducat Spiritualiter, bibit Spiritualiter, & è converſo; & non carnali neque Sacramentali: ſicut carnaliter verba Chriſti intelligentes abierunt retrorſum. Vnde Chriſtus ſua verba manentibus diſcipulis exponens, dixit:* Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, *ſcilicet ſine Spiritu*: Verba, quæ ego loquutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. *Sic & Sacramentalis communio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed Spiritualis.*

Æneæ Silvii Epiſt. 130. verba ſunt: *Negat Iohannes, ut ait, imò negat apud Iohannem, Dominus*

minus vitam eſſe cupiam, niſi carnem ſuam comederit. Quibus verbis non minùs utriusque ſpeciei communionem, quàm baptiſmatis undam mandatam cenſes. Vetus hæc Armenorum inſania fuit, qui natos, ut in lucem veniebant, mox baptiſatos, mox altaris Sacramento reficiebant, quod & vos ajunt facere, qui dementes atque infantes ad Euchariſtiæ libamenta vocatis, inhonorantes diviniſſimum Sacramentum, communionémque Pauli deſpicientes, quando ad Corinthios ſcribens ait : Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quomodo ſe parvuli & dementes probare poſſunt, quibus nec certus, nec verus rationis eſt uſus. Sed non eſt in Evangelio Iohannis quem ibi ſenſus aſſcribitis.* Non bibitio Sacramentalis illic præcipitur; ſed Spiritualis inſinuatur. *Nam ſanguis Chriſti triplicem potum, Alberti Magni ſententiâ, tradidit, in eo ſermone quem de Chriſti corpore, non minùs ſubtiliter quàm veraciter edidit. Eſt enim potus* Sacramentalis, *quem ſoli Sacerdotes accipiunt. Eſt* intellectualis, *qui plebibus Chriſtianis ſub ſpecie panis miniſtratur. Et eſt* Spiritualis, *quo ſalvandi omnes utuntur, incarnationem paſſionémque Domini piâ & aſſiduâ meditatione recolentes. Et de hac bibitione Dominus apud Iohannẽ præcipit, ſicut verborum Evangeliſtæ ſeries luculenter oſtendit. Nam, cùm dixiſſet Dominus :* Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè

eſt

eſt potus; qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. *Multi audientes ex diſcipulis ejus dixerunt:* Durus eſt hic ſermo,quis poteſt eum audire? Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quare murmuraverant de hoc diſcipuli ejus,dixit eis; Hoc vos ſcandalizat;ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat priùs.Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba, quæ ego loquutus ſum vobis,Spiritus & vita ſunt. Sed ſunt ex vobis,qui non credunt. *Declarat Dominus his verbis,non carnalis eſûs aut potûs illic,ſed Spiritualis arcana myſterii contineri*, dum ait, Spiritus eſt,qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. *Et iterum*: Verba quæ loquutus ſum vobis,Spiritus & vita ſunt. *Vis apertè cognoſcere, quomodo de Spirituali manducatione, qua fit per fidem,loquatur Evangeliſta,adverte quæ dicit Dominus:* Qui manducat & bibit,inſtantis non futuri temporis ſunt verba. *Erant igitur,dum ſic loqueretur Dominus, qui manducabant, & qui bibebant eum. Nondum paſſus Dominus erat, nec adhuc inſtitutum fuit Sacramentum.* Quomodo ergo manducabant bibebántque Chriſtum,niſi Spiritualiter per fidem & charitatem,credentes in eum & facientes opera ejus.*Nam & priùs dixerat*: Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me,non eſuriet,& qui credit in me,non ſitiet unquam. Qui credebant in eum,& opera ſectabantur ejus,

hi carnem edebant ejus, hi potabant ſanguinem. *Atqui hic verior eſt Evangelii ſenſus, quia aliter edi caro, aut bibi Chriſti ſanguis non poterat.* Fuit enim figurata loquutio Domini; ſicut & Samaritanæ, & in cruce ſitire ſe dixit, *quia fidem illius, & noſtram ſalutem ſitiebat. Sic gloſſator intelligit hoc Evangelium; ſic magnus Auguſtinus, doctrinâ & verecundiâ juſtâ nobilis, cujus tanta gloria eſt, ut nullius laudibus creſcat, vituperatione minuatur; quo poſtpoſito, ſi quis VVicleffum Rochezanámque ſequitur, luci tenebras, veritati mendacium præfert. Quid plura? Nónne Dominus in textu Evangelii dicit:* Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam. *Eccum tibi panem, cibus & potus eſt! qui eſuriem tollit & ſitim. Cui tollit & quomodo?* Credenti tollit, per charitatem tollit. Nam qui fidem rectam habet, & opera facit digna fide, hic eſt, qui carnem Domini manducat, & ſanguinem bibit, & acquirit vitam æternam: *mundo mortuus Chriſto vives. Sic quod de Iohanne vobis aſſumitis, noſtra ſententia, non veſtra confert.*

Johannis Feri in Johan. Cap. 6. ſupereſt ſuffragium, dignum, quod hoc etiam loco inſeratur. *Atqui verè ardua ſunt, quæ Chriſtus hic dicit, nempe nedum poſſibile, ſed & neceſſarium eſſe, ut manducemus carnem ejus.* Hoc autem verbum palàm arguit, Chriſtum in hoc capite de

de Spirituali manducatione etiam loqui. Fides enim in Chriſtum pro nobis mortuum adeò neceſſaria eſt, ut ſine ipſa neque ſalus, neque vita cuiquam contingere poſſit. *Qui enim non credit, jam judicatus eſt. Dicere autem, quòd ſine corporali perceptione Sacramenti nulli poſſit contingere vita, admodum durum, imò temerarium & falſum eſt. Hinc enim ſequeretur, quòd Patres Veteris Teſtamenti, imò & Iohannes Baptiſta non haberent vitam. Deinde etiam ſequeretur, quòd pueri etiam baptizati, ante annos diſcretionis morientes, non poſſent ſalvari, eò quòd non accepiſſent Sacramentum.* Sequeretur *item, quòd pueris etiam dandum eſſet hoc Sacramentum, alioquin non victuros: quemadmodum & quidam faciunt contra expreſſum Pauli verbum, qui vult, ut ſumturus Sacramentum priùs probet ſeipſum, quod pueri non poſſunt. Præterea* ſequeretur, *quòd qui articulo temporis, vel aliâ quâdam neceſſitate conſtringuntur (ſicut nonnulli Confeſſores, quos nec baptizari aquâ, perſequutionis & mortis inſtantia permiſit) non poſſent ſanari, quantùmvis Sacramentum deſiderarent. Demum, ſi Chriſtus hîc de ſumtione Sacramenti loqueretur,* ſequeretur, *quòd omnes, qui Sacramentum ſumunt, ſalvarentur, cùm Chriſtus expreſſè dicat:* Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam. *Atqui etiam Iudas Sacramentum ſumſit, nec tamen vitam habuit. Imò Paulus manifeſtè dicit.*

cit.

cit, aliquos Sacramentum hoc ſumere in judicium, & condemnationem. Vnde clarum eſt, quòd Chriſtus de ſpirituali manducatione, quæ fit per fidem, non de Sacramentali loquitur. Pergit deinceps Ferus, & inſtantias ſuperioribus argumentis oppoſitas ſolvit.

V. Exſcripſi hæc, tum quòd citati authores, obvii omnibus non ſint, tum etiam, quòd ipſe quoque vir doctiſſimus exiſtimet, *Aeneam Silvium*, cum aliis recentioribus, manducationem Spiritualem Joh. cap. 6. intellexiſſe, propterea tantùm, ſive quod multùm, ſive maximè adverſari crederent communioni laicorũ, ſub ſola ſpecie panis: Alias illos urgere rationes, ſolidas, prægnantes, attenta & ſeria nos locorum inſpectio docebit. Non omnes Doctores Pontificii, qui de Spirituali manducatione textum explicant, communionis vel ſub una, vel duabus Speciebus meminerunt; cæteris occaſio tantùm eſt, non argumentum, cur locum ſibi, ad evincendam communionem ſub utraque ſpecie, metuendum non exiſtiment. Non propterea, quòd utramque ſpeciem Chriſtus flagitaret in adminiſtratione Cœnæ, præſenti capite, *Aeneas Silvius*, *Biel*, *Ferus*, ad manducationem illud retulerunt Spiritualem; ſed quia de Spirituali manducatione agere Servatorem certiſſimis collegerunt argumentis, Sacramentalem non obtrudendam prudenter ſuis ſuaſerunt, ne, præter neceſſitatem, novis intricarentur difficulta-

ta-

tatibus. Hoc conſilium *Janſenii* erat, Gandavenſis Epiſcopi, *Reſtat*, inquit, *totum hunc locum convenientiſſimè intelligi de manducatione Spirituali, quæ eſt per fidem, in carnem traditam in cruce, & in ſanguinem effuſum pro nobis, quomodo ut intelligatur, & præcedentia & ſequentia ſatis exigunt, & ſic ceſſant omnes difficultates, quæ oriuntur, ſi de Sacramentali manducatione accipitur*: Harm. Evangel. cap. 59.

VI. Et certè, magno Eccleſiæ Romanæ incommodo *Caput 6. Johannis à verſ 48. de manducatione Sacramentali intelligi*, miror Virum doctiſſimum non prævidere. *Primò* enim, Transſubſtantiatio Romana, veram, realem, ſubſtantialem, corporalem in Cœna carnis Chriſti tam præſentiam urget, quàm manducationem. Chriſtus verò ex profeſſo eam refutat. Etenim inter manducationem *craſſam*, id eſt, *naturalem* (neque enim ulla dari poteſt manducatio naturalis, quam ſic voco ratione objecti ſenſibilis ſeu naturalis, corporis nempe Phyſici, quæ non ſit craſſa, id eſt, quæ non fiat per contactum, comminutionem, abliguritionem;) & *myſticam*, Chriſtus hoc loco manifeſtum inſtituit diſcrimen. *Illam* cùm Judæi ex ſuperioribus verbis malè & imperitè collegiſſent, Chriſtus verſ. 52. tollit, & ita quidem, ut ſuam, ante omnia, ponat & confirmet ſententiam, verſ. 53. Omnino *ſuam carnem* eſſe *comeden-*

dendam, & *ſanguinem bibendum; carnem ſuam verè eſſe cibum* & *ſanguinem verè potum*. Umbras ceſſâſſe, ipſum jam adeſſe corpus. Mannam ſui, tanquam panis cœleſtis, typum tantùm geſſiſſe. Cùm verò vidiſſet, diſcipulos etiam ſuos hac offendi aſſertione v. 60. 61. explicuit deinceps, quomodo caro ſua ſit verus cibus, & ſanguis verus potus. *Caro cibus eſt*, κατὰ πνεῦμα *Spiritualiter*, accepta: proinde & percepta per veram fidem. Fides enim eſt os illud, quo cibum cœleſtem admittimus, & per quam manemus in Chriſto, ille verò in nobis verſ. 56. Fides eſt, quæ vivere nos facit per Chriſtum, v. 57. Qualis autem vita, talis nutritio. At vita in Chriſto Spiritualis. Ergò & cibus: Ergò & ὄργανον δεκτικὸν, quæ omnia inter ſe ſunt relata. Atque hoc eſt, quod Chriſtus murmurantibus objicit Apoſtolis: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus ſunt, & vita ſunt*, verſ. 63. Quaſi dicat: Quid in iſtis hæretis? Cur hac mea loquendi ratione offendimini? Et vos ignoratis, *Spiritualiter* eſſe intelligenda, non *carnaliter*, quæ de carnis meæ loquutus ſum manducatione? Non enim de corporis alimento, adeóque de carne, corporis mei parte, hoc loco ſermo erat; ſed de nutritione Spirituali, eámque ſequente conjunctione veſtri, ceu membrorum, mecum, capite v. 63. de vita veſtra per me, quæ temporalis non eſt, ſed æterna, 57. ad quam vos ſuſci-

ſcitaturus ſum ultimo die, verſ. 54. Ita *Spiritus*, id eſt, *ſenſus ſpiritualiter* ſumtus, verbáque rectè intellecta vivificant: *caro* verò; verba *carnaliter* & craſſè accepta; nihil proſunt. Cùm ergo verba mea Spiritus ſint, de Spiritualibus agant; cùm de vita, non temporali, ſed æterna, nutritióneq; myſtica, qua in unum coaleſcimus corpus, ego loquar, cur craſſum & carnalem mihi affingatis ſenſum? Juſtiſſima igitur hæc Servatoris fuit ἐπίπληξις, qui, poſtquam operoſè Judæis monſtrâſſet, verè carnem ſuam cibum eſſe, mox manducandi modum addit Spiritualem, carnali, i. e. naturali remoto. ὃ λέγει τοῦτό ἐστι πνευματικῶς δεῖ τὰ παρ' ἐμοῦ ἀκούειν. ὁ γὰρ σαρκικῶς ἀκούσας, οὐδὲν ἀπόνατο, οὐδὲ τοῦ κέρδους ἀπήλαυσε. *Quod dicit, ejusmodi eſt*: Spiritualiter mea verba intelligenda ſunt. *Nam qui corporaliter accipit, nihil proficit, nec ullum inde emolumentum percipit*; ita Græci enarratores Chriſti verba interpretantur. Et *Maldonatus* Jeſuita: *Verum cibum, & verum potum vocat, quia verè animum nutrit, & vitam æternam illis præbet. Sicut v. 32. vocavit ſe panem verum, non utique natura; nec enim verè & propriè, ſi naturam ſpectes, panis eſt; ſed effectu, quia verè præſtat, quod panis præſtare ſolet, cùm ad id fiat, ut verè homines vivant; & cap. 25. verſ. 1. vocat ſe vitem veram, non quòd vera ſit vitis, ſed quod id, quod vitis facit, ut ſarmenta ſua nutriat atque ſuſtentet, multò ipſe verius facit*; *in* Joh. 6. verſ. 55.

II. Verba: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis*, Tropicè debent intelligi. Ergo & verba Inſtitutionis. *Antecedens* ſuprà, totidem *Auguſtini* verbis propoſuimus. *Conſequens* fluit ex hypotheſi & æquipollentia, quam larga nobis manu Adverſarii largiuntur. Et hoc argumentum non obſcurè pro cauſa bona militat. III. *Chriſtus* Joh. VI. *omnem tollit ſive ſenſualem, ſive corporalem præſentiam atque manducationem*. E. & Pontificiam. IV. Chriſtus Capernaiticam damnat anthropophagiam: Ergò & Romanam σαρκοφαγίαν. Nullum enim inter illam & hanc vel fingi poteſt diſcrimen. *Ajunt*, quòd illi apertā conceperint manducationem, *hi* tectam: *illi* craſſam, *hi* ſubtilem; *illi* fruſtillatim diſcerptam; *hi* integram proponant carnem. Hoc verò eſt à ſcopo aberrare. Neq; enim diſputat Servator contra rem, contra carnem ſuam, ejúſque participationem, quæ omnino tota noſtra fieri debet; ſed contra *modum rei*, cujus diſtinctæ duæ ſunt ſpecies, *carnalis, localis*, ſeu *corporalis* (ſive fruſtillatim fiat diſcerpendo, ſive in totum abligurięndo, & in ſtomachum recondendo) quam ſimpliciter removet omnem, verſ. 63. & *Spiritualis*, per fidem, quam ponit ibidem. Imò, verſimile ſit, ſive Capernaitas, ſive diſcipulos tam craſſis de manducatione Corporis Chriſti dediſſe locum cogitationibus, quàm abſurdis quidem decretis,

pa-

palinodiis, Eccleſia Romana Transſubſtantiationem exprimi voluit? Credamus, Capernaitarum fuiſſe mentem, *carnem Chriſti adeſſe ſenſualiter, non ſolùm Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*? Eſt & Adverſariorum; ut ex *Berengarii* manifeſtum eſt Palinodia, à Nicolao Papa dictata; de *Conſec.* diſt. 2. Can. *Berengarius.* Crediderint Capernaitæ, *ſe planè Creatores futuros ſui Creatoris*, ut veram Chriſti carnem comederent, & realitatem præſentiæ carnalis defenderent? Credunt & Adverſarii. Unde *Stella Clericorum: Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Iſte qui creavit me, dedit mihi creare ſe: qui creavit me ſine me, creatur mediante me.* Crediderint (quod crediſiſſe tamen ego non credo) Chriſtum etiam à brutis poſſe devorari? Credunt & Adverſarii. Communis hæc eſt Scholæ ſententia: *Brutum comedens Sacramentum, verum Chriſti corpus devorare*, ut habet *Ioſephus Anglus*, qui flores Scholaſticor. collegit, Quæſt. *de ſuſcip. Euchar. Artic.* 3. Unde *Alexander Alenſis*; Part. 4. q. 45. m. 1. *Si canis vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam, integram, non video, quare corpus Domini, non ſimul trajiceretur in ventrem canis vel porci.* *Antonini*, Archiepiſcopi Florentini, addere placet tanto Myſta & myſterio dignam obſervationem ex 3. Par. de defect. Miſſæ cap. 6. ſ. 3. *Si mus*, inquit, *aut aliud animal per negligentiam*

II. Verba: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis*, Tropicè debent intelligi. Ergo & verba Inſtitutionis. *Antecedens* ſuprà, totidem *Auguſtini* verbis propoſuimus. *Conſequens* fluit ex hypotheſi & æquipollentia, quam larga nobis manu Adverſarii largiuntur. Et hoc argumentum non obſcurè pro cauſa bona militat. III. *Chriſtus* Joh. VI. *omnem tollit ſive ſenſualem, ſive corporalem præſentiam atque manducationem*. E. & Pontificiam. IV. Chriſtus Capernaiticam damnat anthropophagiam: Ergò & Romanam σαρκοφαγίαν. Nullum enim inter illam & hanc vel fingi poteſt diſcrimen. *Ajunt*, quòd illi apertā conceperint manducationem, *hi* tectam: *illi* craſſam, *hi* ſubtilem; *illi* fruſtillatim diſcerptam; *hi* integram proponant carnem. Hoc verò eſt à ſcopo aberrare. Neq; enim diſputat Servator contra rem, contra carnem ſuam, ejúſque participationem, quæ omnino tota noſtra fieri debet; ſed contra *modum rei*, cujus diſtinctæ duæ ſunt ſpecies, *carnalis, localis*, ſeu *corporalis* (ſive fruſtillatim fiat diſcerpendo, ſive in totum abliguriendo, & in ſtomachum recondendo) quam ſimpliciter removet omnem, verſ. 63. & *Spiritualis*, per fidem, quam ponit ibidem. Imò, verſimile ſit, ſive Capernaitas, ſive diſcipulos tam craſſis de manducatione Corporis Chriſti dediſſe locum cogitationibus, quàm abſurdis quidem decretis, pa-

palinodiis, Eccleſia Romana Tranſubſtantiationem exprimi voluit? Credamus, Capernaitarum fuiſſe mentem, *carnem Chriſti adeſſe ſenſualiter, non ſolùm Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*? Eſt & Adverſariorum; ut ex *Berengarii* manifeſtum eſt Palinodia, à Nicolao Papa dictata; de *Conſec.* diſt. 2. Can. *Berengarius.* Crediderint Capernaitæ, *ſe planè Creatores futuros ſui Creatoris*, ut veram Chriſti carnem comederent, & realitatem præſentiæ carnalis defenderent? Credunt & Adverſarii. Unde *Stella Clericorum*: *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Iſte qui creavit me, dedit mihi creare ſe: qui creavit me ſine me, creatur mediante me.* Crediderint (quod crediдiſſe tamen ego non credo) Chriſtum etiam à brutis poſſe devorari? Credunt & Adverſarii. Communis hæc eſt Scholæ ſententia: *Brutum comedens Sacramentum, verum Chriſti corpus devorare*, ut habet *Ioſephus Anglus*, qui flores Scholaſticor. collegit, Quæſt. *de ſuſcip. Euchar. Artic.* 3. Unde *Alexander Alenſis*; Part. 4. q. 45. m. 1. *Si canis vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam, integram, non video, quare corpus Domini, non ſimul trajiceretur in ventrem canis vel porci.* *Antonini*, Archiepiſcopi Florentini, addere placet tanto Myſta & myſterio dignam obſervationem ex 3. Par. de defect. Miſſæ cap. 6. ſ. 3. *Si mus*, inquit, *aut aliud animal per negligen-*

tiam

tiam ſpecies Sacramenti comederit, ille per cujus negligentiam hoc accidit, debet 40. diebus pœnitere: Et debet mus capi, ſi poteſt, & comburi: & cinis juxta altare reponi. Sed Petrus de Palude dicit, *quòd mus exenterari debet, & mus quidem comburi, & cinis in piſcinam conjici; pars autem hoſtiæ, ſi eam horret homo ſumere, debet in tabernaculo reverenter poni, & tamdiu ibi dimitti, quouſque naturaliter conſumetur. Ipſa autem hoſtia nequaquam debet in piſcinam projici, ſicut fecit quidam Sacerdos de muſca reperta poſt conſecrationem in calice. Et ſi quidem homo eſſet tanti fervoris, quòd hujusmodi non horreret, ſed ſumeret, commendandus eſſet, ſi tamen eſſet jejunus. Sic B. Hugo Cluniacenſis commendavit Goderanum, ſumendo portiunculas hoſtiæ, quas leproſus cum viliſſimo ſputo evomuerat; dicens craticulam Laurentii fuiſſe tolerabiliorem.* Quid? quòd Creatorem hunc à Creatura creatum indigniſſimis quibusvis modis tractari, abjici in latrinam, evomi, à muribus corrodi, ita mordicus defendunt, ut ſecus ſentientibus dicam hæreſeos pridem impegerint. Accidit enim hoc Andreæ Bonagetæ, Minoritæ Anno Chriſti 1371. Statuit hic (quod tamen ſub excommunicationis pœna prædicari erat vetitum) *quòd ſi hoſtia conſecrata cadat aut projiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quòd, Speciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinat Corpus Chriſti: & redeat*

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantia panis. Quòd ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeu à bruto ſumatur, quòd, remanentibus dictis ſpeciebus, ſub eis eſſe deſinat corpus Chriſti, & redeat ſubſtantia panis. Quòd ſi hoſtia conſecrata à juſto, vel à peccatore ſumatur, quòd, dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur. Sed nimis hic verecundus & modeſtus erat Theologus. Cæteris; ut cum auctore *Tract. Corp. Chriſti* loquamur; *non eſt abſurdum, quòd deſcendat ad ſtomachum hominis aut animalis, cùm etiam in fœtida pyxide vel latrina poſſit poni, vel etiam in cacabo pleno aqua bullienti, ſicut fecit quidam Iudæus Pariſinus.* Creditne doctiſſimus Vir, hæc talia vel Capernaitas, vel diſcipulos hîc Chriſti, per febrim cogitâſſe? Et tamen, ſi cogitâſſent, ſi credidiſſent, ſi decretis ſanxiſſent, in Scholis docuiſſent, Eccleſiæ Romanæ per omnia convenirent. Quodnam igitur, amabò, diſcrimen vel fingi ſpecioſè hîc queat? Imò, quis non animadvertat, longè abſurdiorem de reali præſentia Chriſti opinionem, publicè ab Eccleſia Romana receptam, quàm Capernaitæ vel cogitationibus auſi fuiſſent conſequi? Illi non crediderunt, vel per Dei voluntatem, & tot diſerta præcepta de non edendo ſanguine; vel per conditionem carnis Chriſti fieri poſſe, ut verè & realiter manducandus Chriſtus proponeretur: quæſiverunt igitur, quomodo fieri illud poſſet? Ad-

Adverſarii nec quærunt, nec in Chriſti reſponſionibus acquieſcunt, ſed præſentiæ modum à Chriſto ſimpliciter refutatum mordicùs defendunt. IV. *Si hoc Capite de Sacramento Euchariſtiæ poſtea inſtituendo agitur, neceſſariò illud ſub utraque ſpecie eſt adminiſtrandum.* Ratio conſequentiæ, quia verſ. 55. *Caro & ſanguis* indivulſo nexu, diſtinctè tamen, cohærent: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* At negant hanc neceſſitatem, imò contrarii aſſertionem falſam, erroneam proclamant adverſarii. Unde, quod modò oſtenſum, ex illis, nec pauci, nec poſtremi negant, hoc capite de manducatione agi Sacramentali, ne ad has neceſſitatis, utriuſque ſpeciei, leges compellerentur. V. Chriſtus ſe vocat *panem vitæ, panem qui de cœlo deſcendit* verſ. 48. 50. 51. An ergo Chriſtus ex farinacea maſſa panis eſt? an in panem mutatus? an propriè dictus panis cœleſtis eſt? Quis Tropum hîc non agnoſcit? Ipſum ſupra conſentientem dedimus Maldonatum. Cur ergò metuamus figuram agnoſcere, ubi, inverſa Propoſitione, Chriſtus *panem*, ſuum vocat *corpus*? Annon tot penè fulmina contra Tranſſubſtantiationem, quot quidem hîc ſunt verba? VI. *Optimus Interpres verborum quiſque ſuorum.* Cur igitur Chriſto, qui *edere*, & *bibere*, pro, *venire ad ſe* verſ. 44. & 65. & *credere in ſe*, explicat, fidem non adhibeamus, & in ſimpulo fluctus excitemus? Poſtquam Servator, occaſione quin-

quinque panum, de manna primùm, poſtea etiam de ſemet ipſo, pane cœleſti, diſſerere cœpiſſet, & Judæi ſibi quoque panem illum dari petiiſſent, ad fidem eos rejecit & acceſſum. *Ego*, inquit, *ſum panis ille vitæ, qui veniet ad me, nequaquam eſuriet, & qui credit in me, ſitiet nunquam.* Planè ut cap. IV. v. 34. *eſcam ſuam* vocat *executionem voluntatis ejus, qui miſit ipſum, & conſummationem operis ejus*; ita hoc loco ſeipſum, vera fide apprehenſum, noſtrum appellat cibum & potum. Et quemadmodum verſ. 25. capitis IV. cùm mulier *aquam ſibi, de qua ſi quis biberet, non ſitiret in æternum, dari petiiſſet*, adventum ad ſe, id eſt, ſui cognitionem, quòd verus eſſet Mundi Meſſias, intellexit, ut ex ſequentibus manifeſtum eſt; ita, quando hoc loco ſanguinis & carnis ſuæ, ceu veri cibi & potûs meminit, ipſe Servator, de ſolida, & ſalutari ſui notitia, adeóque *acceſſione*, & meriti ſui per fidem *apprehenſione*, ea explicat. Ut enim naſci ſpiritualiter, eſt regenerari per Spiritum ſanctum; ita *paſci ſpiritualiter*, eſt paſſionis & meritorum Chriſti per fidem fieri participem. VII. Si de Sacramentali hoc loco agitur manducatione, ejúſque abſoluta neceſſitate; etiam infantibus erit communicandum. At hoc poſterius damnavit Eccleſia Romana. E. Eſt hoc argumentum non modò Eccleſiæ Veteris Græcæ, de qua *Lyran.* Joh. 6. verſ. 53. ſed etiam *Auguſt.* lib. 1. de peccat. Merit. & Remiſſ. Cap.

20. & 24. Quod & ſuprà celebrem illum Moguntinum concionatorem, *Iohannem Ferum* preſſit. VIII. Non agi Joh. C. VI. vel de Transſubſtantiatione, vel Sacramento Cœnæ; ſed Spirituali carnis Chriſti manducatione, Patres magno docent numero. Tertull. de Reſur. carnis: *Quia durum & intolerabilem exiſtimaverunt ſermonem ejus, quaſi verè carnem ſuam illis edendam determinâſſet, ut in Spiritum diſponeret ſtatum ſalutis, præmiſit:* Spiritus eſt, qui vivificat; *atque ita ſubjunxit:* Caro nihil prodeſt, *ad vivificandum ſcilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi Spiritum:* Verba, quæ locutus ſum vobis, Spiritus ſunt, & vita ſunt, *ſicut & ſupra:* Qui audit ſermones meos, & credit in eum, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, ſed tranſibit de morte ad vitam. *Itaque ſermonem conſtituens vivificatorem, quia Spiritus & vita ſermo, eundem etiam carnem ſuam dixit, quia & ſermo caro erat factus; proinde in cauſam vitæ appetendus, & devorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.* Aperta Tertulliani verba, quæ removent manducationem carnalem; Spiritualem contrà ponunt, & eam quidem, quæ conſiſtit partim in ſalutari auditu verbi Dei, partim in vera fide in Chriſtum, quem *auditu devorandum, ruminandum intellectu, & fide dicit digerendum.* Sed & Hieronymus textum de Scripturis ſacris explicat in Pſalm. 147. *Legimus ſanctas Scri-*

Scripturas: Ego corpus Ieſu Evangelium puto, ſanctas Scripturas puto doctrinā ejus: Et quando dicit: Qui non comederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, *licèt in myſterio hoc poſſit intelligi, tamen veriùs corpus Christi & ſanguis ejus ſermo Scripturarum, doctrina divina eſt: Si quando imus ad myſterium (qui fidelis eſt, intelligit) ſi in maculam ceciderit, periclitatur; ſi quando audimus ſermonē Dei, & ſermo Dei, & caro Chriſti, & ſanguis ejus in auribus noſtris funditur, & nos aliud cogitamus, in quantum periculum incurrimus?* Hoc Hieronymi habent præmiſſæ. Ex iis verò colligere & concludere, Chriſtum Johannis ſexto Transſubſtantiationis dogma ſtabilire; eſt argumentari à baculo in angulo ad pluviam. Sumā, in confeſſo eſt, de qualibet alia manducatione, de quolibet alio corpore priſcos Doctores, quàm Transſubſtantiato, locum intelligere maluiſſe. Unde & *Auguſtinus* de Verbis Apoſtoli ſerm. 2. *Hoc vos ſcandalizat: Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius. Quid ſibi vult,* hoc vos ſcandalizat? *Putâſtis, quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus ſum, & membra mea conſciſſurus, & vobis daturus? Quid ſi ergo filium hominis videritis aſcendentem ubi erat priùs?* Certè, qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit? *Ergo & de corpore ac de ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem, & tam magnam breviter ſolvit de ſua inte-*

gritate quæſtionem. Manducent ergo, qui manducant, & bibant qui bibunt, eſuriant & ſitient, vitam manducent, & vitam bibant. Illud manducare refici eſt, ſed ſic reficeris, ut non deficiat, unde reficeris. Illud bibere, quid eſt niſi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra eſt vita. *Tunc autem hoc erit, id eſt, vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi, quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate Spiritualiter manducetur, Spiritualiter bibatur. Audivimus enim Dominum dicentem, Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*: Verba quæ loquutus ſum, Spiritus & vita ſunt. Quid, quòd, ut *Ferus* in Joh. p. 165. b. monet, Auguſtinus cum aliis, de corpore myſtico, Eccleſia, non Sacramentali, multò minus naturali, textum expoſuit? Euſebius Eccleſ. Theol. lib. 3. cap. 12. *Ne enim exiſtimetis, me dicere*, carnem, qua circumdatus ſum, edendam eſſe; *neque putetis me præcipere*, ſanguinem ſenſibus expoſitum & corporalem bibendum eſſe: *probè enim nôſtis, verba mea, quæ loquutus ſum vobis. Spiritum eſſe & vitam: unde ipſa verba & ſermones ejus caro & ſanguis ſunt, quibus qui participat, ſemper, ut ita dicam, cœleſti pane nutritus, cæleſtis vita particeps futurus eſt.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. Myſtag. 4. *Chriſtus olim cum Iudæis differens, dicebat:* Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis

biris

bitis vitam in vobis. *Illi verò non audientes Spiritualiter ea,quæ dicebantur, offenſi, abierunt retrò, quòd exiſtimarent,Chriſtum eos ad humanarum carnium eſum incitare. Erant in Veteri quoque Teſtamento panes Propoſitionis; ſed illi ad vetus pertinentes,finem conſequuti ſunt: in Novo verò Teſtamento, panis cœleſtis, & poculum ſalutare, quæ corpus & animam ſanctificant: ſicut panis corpori,ita verbum animæ convenit: ne ergo tanquam nudis attendas,pani & vino.* Chryſoſtomus Homil. 47. in Joh. *Carnale erat dubitare,quomodo nobis poſſet carnem dare manducandam? Hæc omnia carnalia, quæ myſticè & Spiritualiter intelligere oportebat.* Item. *Verba quæ ego loquutus ſum vobis,divina & Spiritualia ſunt,nihil carnale habent.* Et rurſus: *Illi quidem* (*qui* offendebantur) *carnaliter & ſecundùm humanam rationem audiverunt;hi verò* (Apoſtoli) *Spiritualiter,fidei omnia permittentes.*

VI. E. Magnam denique,*hunc locum,lucem explicandæ doctrinæ,de manducatione afferre, libenter* concedimus 1.OſtenditServator,unum ſui manducandi modum, Spiritualem nempe,per fidem,verſ.47.2. Tollit omnem præſentiæ modum,qui locali ejus incœlum aſcenſioni repugnat, verſ. 62. 3. Identitatem Objecti indicat; tam in Spirituali, quàm in Sacramentali manducatione; *Carnem*, ſeu *Corpus*,&*ſanguinem* ſuum: niſi quòd,inverſa propoſitione,in il-

la *ſe* appellet *panem*; *carnem ſuam,cibum*; in hac verò *panem*,ſuum *corpus*.Etſi enim cum *Petro Martyre*,cæteriſque Theologis noſtris rectè ſentiamus, ſermonem hoc loco de Sacramento Cœnæ non inſtitui; aſſerimus tamen, cum eodem: *Sexto capite Iohannis traditam eſſe Spiritualem manducationem carnis Chriſti per fidem,& Chriſtum in ultima illa ſua Cœna,ſymbola ad eam,& certa quædam verba addidiſſe,nec ullam concedimus veræ carnis Chriſti manducationem niſi Spiritualem,quam ita diſtinguimus, quòd externa ſymbola interdum adjuncta habeat,interdum non habeat.* Hujus verò manducationis Spiritualis ratio & modus nuſpiam pleniùs exponitur,quàm præſenti loco. Verbo,Caput ſextum plana eſt & dilucida explicatio omnium eorum, quæ in inſtitutione Euchariſtiæ ambigua videri queunt,adeò ut Spiritûs ſancti tam eximium beneficium & gratiam,non grato ſatis agnoſcant animo,qui vel alium exſpectant Doctorem,vel in aperta deinceps cæcutire malitioſè pergunt luce.

VII.Feliciores ac cordatiores hac in re Patres erant,qui,ad decidendam Sacramentariam Controverſiam, præſentem hunc Johannis textum præ aliis in ſubſidium vocârunt, manducationémque in Cœna Domini ſalutarem,*Spiritualem fidei*,eſſe voluerunt. Ita *Auguſtinus* de verbis Apoſtoli ſerm.2.quem locum ſuprà jam citavimus. Et de doctr. Chriſtian. lib.3. Cap.5.

&

& 16. Item in Pſalm. 98. *Spiritualiter intelligite, quod loquutus ſum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem illum, quem fuſuri ſunt, qui crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, Spiritualiter intellectum vivificabit vos. Clemens Alexandrinus*, Pædag. lib. 2. cap. 2. *Baſilius* Epiſt. 141. quæ eſt ad Cæſarienſes; *Chryſoſtomus* de Sacerdotio lib. 3. c. 6.

SECTIO X.

Transſubſtantiatio repugnat *Analogiæ fidei.*

VUlt Apoſtolus, noſtram Prophetiam, id eſt, ſolidam & ſobriam Scripturæ explicationem, fieri ſecundùm analogiam ſive proportionem fidei, *Rom.* 12. verſ. 6. Neque verò abs re. Quis enim inficias eat, in profundo S. Scripturæ Oceano, ab imperitis nautis ad ſcopulos nonnunquam allidi, & variarum ſententiarum vortices? Cynoſura proinde opus eſt, ad quam quiſque curſum ſuum tutò dirigat. Ea autem eſt *analogia fidei*, quo nomine veteres Theologi, *Irenæus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius* Symbolum intellexerunt Apoſtolicum: alii prima & indubitata religionis capita: alii perſpicua & manifeſta Scripturæ loca, quibus obſcuriora illuſtrantur.

Digitized by Google

tur. Utrum quædam ſigillatim, an omnia ſimul nomine hoc debeant intelligi, jam non diſputabimus. Sit analogia fidei *Symbolum*, ſint *primaria Chriſtianiſmi capita*, utrinque repugnantem habemus; in explicatione verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, per Transſubſtantiationem; fidei analogiam. Nam 1. *Credimus*, Chriſtum, ex Beata Maria Virgine, verum aſſumſiſſe corpus, adeóque extenſione ſua quantum, ſuis partibus diſtinctum, locale, viſibile, etiam poſt Reſurrectionem, ſecundùm Scripturam, *Luc.* 24. 39. *Ioh.* 20. 20. 27. cap. 21. 5. Transſubſtantiatum verò corpus multiplex eſt, ἄποσον, ἀόρατον, ἀόριστον &c. adeóque nullum. Et tamen audent ſuam Transſubſtantiatores creaturam, B. Virginis ſanctiſſimæ præferre proli, ut ex Gabriel Biel Lect. 4. pag. 8. ſuprà audivimus. II. *Credimus*, corpus Chriſti ſemel crucifixum & mortuum, ita definiente aliquoties Scriptura, *Rom.* 6. 10. *Heb.* 9. 28. c. 10. 10. At in Transſubſtantiatione toties illud, quoties hæc fit, crucifigi ac mori neceſſe eſt, ſi panis fractus, propriè & literaliter, eſt Corpus Chriſti fractum pro nobis; Vinum item effuſum, propriè ac literaliter ſanguis Chriſti pro nobis effuſus. III. *Credimus*, Chriſtum ita aſcendiſſe in cœlum, ut terram reliquerit, *Luc.* 24. v. 50. *Act.* 1. v. 9. 10. proinde in terra localiter non ampliùs eſſe cum corpore ſuo præſentem, ut ipſe futurum prædixit, *Marc.* 14. 7. Atque hujus argumenti vim Vete-

res

res diligenter preſſam, localis præſentiæ commento oppoſuerunt. *Euſebius Emiſenus*, ut eſt in jure Canon. *de Conſec* diſtinct. 2. c. 35. *Ambroſius* lib. 10. in Luc. cap. 24. *Auguſt* Tract. 2. in Johan. & Epiſt. 57. ad Dardanum. Imò, ipſo hoc argumento Servator Capernaitas refutavit, *Ioh.* 6. 62. At per Transſubſtantiationem Chriſtus quotidie revocatur in terram. Nive frigidius eſt Rhætica, quòd *modo tantùm quodam* Chriſtum corpore ſuo abſentem volunt, humili, abjecto, paupere. Apertè & abſque parabolis Chriſtus fuit locutus, cùm diceret, ſe relicturum mundum, *Ioh.* 16, verſ. 29. Nullam hîc conditionis admittit reſtrictionem *Auguſtinus*. in Johan. Tract. 50. Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. *Accipiant & hoc boni*; ſed *non ſint ſoliciti: Loquebatur enim de præſentia corporis ſui. Nam ſecundum majeſtatem ſuam, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt*: Ecce vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi: *Secundùm carnem verò, quam verbum aſſumſit, ſecundum id, quod de virgine natus eſt, ſecundum id, quod à Iudæis comprehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? quoniam converſatus eſt ſecundùm corporis*

præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo, non ſequendo aſcendit in cœlum, & non eſt hîc: Ibi enim ſedet ad dexteram Patris, & hîc eſt. IV. *Credimus*, ſemel tantùm Chriſtum rediturum, & viſibiliter quidem, eo modo quo abiit, *Act.* 1. verſ. 11. ad ultimum judicium, *Act.* 3. 21. At per Transſubſtantiationem quotidie, & pluri-mis quidem in locis, ſimul redit inviſibiliter. Hujus verò adventus corporalis ſpem nobis non modò dulciſſimus Servator nullam facit; ſed & graviter ſerióque dehortatur, ne talem confingentibus adhibeamus fidem, *Matth.* 24. verſ. 23. V. Eam credimus Veteris & N. Teſtamenti ſanctorum communionem, quâ utriſque idem cibus Spiritualis, & potus Spiritualis tribuitur, ſecundùm Paulum, 1, *Cor.* 10.3. At Transſubſtantiationis, Veteris Teſtamenti fideles, capaces eſſe non poterant, quando Chriſtus nondum fuit natus E. neceſſariò Spiritualis admittenda. Nexum & veritatem hujus argumenti; ex *Paulo* & *Auguſtino* periti; ſuprà etiam agnovit *Iohannes Ferus*. VI. *Credimus*, remiſſionem peccatorum, per Corpus Chriſti, pro nobis fractum, & ſanguinem effuſum, *Matth.* 20. verſ. 28. At, ſi *panis* propriè eſt *Corpus* Chriſti, pro nobis traditum; vinum propriè eſt ſanguis Chriſti, pro nobis in remiſſionem peccatorum effuſus, reconciliatio cum Deo, & remiſſio peccatorum à Deo petenda (adeóque etiam credenda) erit pro-

propter id,quod latet ſub ſpeciebus,quod manibus geſtatur,quod ore comeditur ac bibitur. Id quod ab Idololatriæ ſuſpicione liberari nequit. Atque hoc argumentum,ab *Analogia ſidei* petitum, *Auguſtino* perſuaſit,ut ſuis etiam Auditoribus ſuaderet,verba; *Hoc eſt corpus meum*; impropriè eſſe intelligenda. Ita enim graviſſimus author, Sermone ad Infant.ad altar.de Sacramento: *Hoc,quod videtis in altari Dei,etiam transacta nocte vidiſtis; ſed quid eſſet, quid ſibi velit,quàm magna rei Sacramentum contineret,nondum audiſtis. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda,panis eſt corpus Chriſti,calix eſt ſanguis. Breviter quidem hoc dictum eſt,quod fidei fortaſſe ſufficiat; ſed fides inſtructionem deſiderat,dicit enim Propheta: Niſi enim credideritis,non intelligetis. Poteſtis ergo modò dicere mihi,præcepiſti ut credamus,expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſpiam cogitatio talis oboriri: Dominus noſter Ieſus Chriſtus:novimus unde acceperit carnem,de virgine Maria lactatus eſt,nutritus eſt,crevit,ad juvenilem ætatem perductus eſt,à Iudæis perſecutionem paſſus eſt,ligno ſuſpenſus eſt, in ligno interfectus eſt,ſepultus eſt,tertio die reſurrexit, quo die voluit in cœlum aſcendit; illuc levavit corpus ſuum unde eſt venturus,ut judicet vivos & mortuos,ibi eſt modò ſedens ad dextram Patris: Quomodo eſt ergo panis corpus ejus? Et calix, vel quod habet*

bet calix, quomodo eſt ſanguis ejus? Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis *aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet Spiritualem.* Ευρηκα, exclamabit Transſubſtantiator! *Quod videtur,* inquit Auguſtinus, *ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum Spiritualem.* Perge, & ipſum, ex Auguſtino, Auguſtinum admitte Interpretem. De corpore myſtico, de *Eccleſia* locum explicat, *hanc* Chriſti *corpus* & poni, & prolixè, ex Apoſtolo, exponit. An per Transſubſtantiationem? Hoc Vir doctiſſimus nec capiet, nec dabit. Ita nempe duriſſimæ Patrum locutiones ubi accuratè examinantur, noſtræ favent cauſæ.

SECTIO XI.

Transſubſtantiationem *Antiquitas* deſtruit.

I. Ad Antiquitatem accedimus, cui Pontificiæ Transſubſtantiationis figmentum fuiſſe ignotum, denſa teſtium nube, magnóque veterum numero poſſet probari. Sed quando ad portum paulatim tendimus, paucis defungemur. Etſi enim Patres, ut in aliis, ſic hoc etiam dogmate, tot nondum ortis novitatibus, quæſtionúmque abſurditatibus; modò ſecurius, modò incautius, modò

modò incommodius, hinc inde, ſuo tempore videantur locuti, eos tamen non metuimus. Et quamquam; quando ille, qui fuit ante omnes, unicus Doctor & Magiſter Jeſus Chriſtus, noſter eſt, de ſequioris ætatis Scriptoribus non multùm debeamus eſſe ſoliciti; ne tamen Antiquitatis indicium (judicium enim ſolius Spiritus Sancti eſt, per Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos in Scriptura loquentis) declinare videamur, unum primò & alterum; ut ne exceptioni viri doctiſſimi; loca afferri ex Patribus, aut obſcura per ſe, aut dubia, à reliquo quippe textu avulſa &c. pateat rima; afferemus, qui ex profeſſo noſtræ ſententiæ patrocinium ſuſcipiunt, qui nobiſcum & ſentiunt & loquuntur, non præcipitanter, ſed præmeditatè; non populari, Homilico, libero; ſed agnoſtico, Elenctico, eóque accurato ſtylo: certas deinde ex antiquitate inſtruemus argumentorum claſſes, cum quibus Transſubſtantiatio ſubſiſtere non poteſt.

II. Ex *Græcis*; ut à *conſenſu Eccleſiæ Græcæ* cum Reformatis auſpicemur; in prima meritò collocandus acie antiquus pariter, & diffuſa eruditione clarus Cyri Epiſcopus, *Theodoretus*. Scripſit hic, præter cætera, Dialogos tres, quorum *primus ἄτρεπτος*, certamen pro immutabili unigeniti Deitate ſuſcipit; *ſecundus ἀσύγχυτος*, unionem Deitatis & humanitatis Chriſti, abſque alteratione atque confuſione factam, demonſtrat; *Tertius ἀπαθής*, Servatoris Deitatem omni

omnis paſſionis expertem condocefacit. Romæ & alibi hi Dialogi ſunt impreſſi. Et in primi quidem Dial. cap. 8. duo Epiſcopus proponit. Analyſin primò & rationem locutionum Sacramentalium explicat ; veritatem deinde corporis & ſanguinis Chriſti,ita ex iis probat,ut neget Sermonem in carnem mutatum. Sacramentalium locutionum duo genera conſtituit,quorum *al erum* nomen ſeu appellationem ſigni, hoc eſt,rei terreſtris & viſibilis tribuit rei ſignificatæ, cœleſti & inviſibili, quo ſenſu Chriſtus corpus ſuum panem appellavit; *alterum*,ſignis ſeu Sacramentis externis nomen rei ſignificatæ ſeu cœleſtis imponit, ut, cùm Chriſtus panem corpus vocat, vinum ſanguinem. Dialogo II. cap.24. ex myſticis ſymbolis, corporis & ſanguinis Chriſti,probat veritatem.Sunt autem tres capitis illius partes. In prima,ex relatione ſymbolorum ad rem ſignificatam,veritatem corporis Chriſti Orthodoxus hoc demonſtrat argumento : *Si divina myſteria ſunt corporis revera exiſtentis ſymbola; tum ſequitur, corpus etiam num eſſe Domini corpus,non indivinitatis Naturam mutatum; ſed divina gloria repletum. Prius eſt verum. E. & poſterius.* Secunda capitis parte Eraniſtes argumentum à ſymbolis myſticis ſumtum in Orthodoxum contorſurus, eóque ſuam opinionem ſtabiliturus, ex partium collatione,ita argumentatur : *Quod ſymbolis Dominici corporis & ſanguinis, poſt* in-

invocationem Sacerdotis, accidit, idem corpori Chriſti, poſt aſſumtionem uſu venit. At ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti alia ſunt, & aliter nominantur ante invocationem ſacerdotis, & alia fiunt poſt eam. E. & corpus Dominicum poſt aſſumtionem in aliam Naturam, nempe divinam, eſt mutatum. Mox verò tertia capitis parte per retorſionem argumenti Orthodoxus aſſumtionem negat, atque ex Natura Relatorum & Parium ita adverſarium conſtringit: *Typus reſpondeat neceſſe eſt veritati. At myſtica ſymbola, typi, figuræ corporis Chriſti, poſt ſanctificationem à propria eſſentia non recedunt. E. nec ipſum corpus aſſumtum à Deitate, à propria Eſſentia recedit.* Aſſumtionem confirmat partim ab Adjunctis ſymbolorum, partim ab eorundem fine & officio. *Manent enim in priori Eſſentia, ſpecie, figura; viſibilia ſunt, & tactui obnoxia, ut antea erant; mente autem intelliguntur, creduntur, honorantur tanquam eſſent ea, quæ creduntur, hoc eſt, res cœleſtes.* Ita, Eccleſiæ orthodoxæ nomine, Theodoretus, Cyri Epiſcopus, cui & Synodus Calcedon. hoc perhibuit teſtimonium: *Dignus eſt Theodoretus ſede Eccleſia: Orthodoxum Eccleſia paſtorem recipiat: Orthodoxum Eccleſia Doctorem recipiat.* Et Leo: *Benedictus Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab OMNI hæreſeos macula mundum te ſecundum ſedis Apoſtolicæ judicia demonſtravit.* Sed merentur acu-

ΕΡΑ. Οὕτως ὠνόμασεν.

ERA. Sic nominavit.

ΟΡΘΟ. Ἀλλὰ καὶ κατὰ φύσιν τὸ σῶμα, σῶμα ἂν εἰκότως κληθείη καὶ τὸ αἷμα.

ORTHO. Etiam ſecundum naturam, ipſum corpus, rectè appellatur corpus & ſanguis.

ΕΡΑ. Ὡμολόγηται.

ERA. Ita ſeres habet.

ΟΡΘΟ. Ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι, τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα· τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος. οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν.

ORTHO. Ipſe igitur Salvator noſter permutavit nomina, & corpori quidem ſymboli nomen impoſuit, ſymbolo vero corporis nomen. Sic vitem ſeipſum nominans, ſanguinis nomen ſymbolo tribuit.

ΕΡΑ. Τοῦτο μὲν ἀληθῶς εἴρηκας, ἐβουλόμην δὲ τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς.

ERA. Hoc quidem verè dixiſti. Volo autem diſcere cauſam permutationis nominum.

ΟΡΘΟ. Δῆλος ὁ σκοπὸς τοῖς τὰ θεῖα μεμυημένοις· ἠβουλήθη γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μετα-

ORTHO. Manifeſtus eſt ſcopus iis, qui ſacris initiati ſunt. Voluit enim Sacramentis utentes non intentos

λαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς, πιστεύειν τῇ ἐκ τοῦ χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. Ὁ γὰρ δὴ τὸ φύσει σῶμα σῖτον καὶ ἄρτον προσαγορεύσας, καὶ αὖ πάλιν ἑαυτὸν ἄμπελον ὀνομάσας, οὗτος τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.

eſſe in naturam eorum, quæ cernuntur, ſed per nominum permutationem, credere ei, quæ ex gratia facta eſt mutationi. Qui enim naturale corpus triticum & panem appellavit, & rurſus ſeipſum vitem nominavit, is viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed gratiam naturæ adjiciens.

ΕΡΑ. Καὶ μυστικῶς ἐῤῥήθη τὰ μυστικά, καὶ σαφῶς ἐδηλώθη τὰ πᾶσιν οὐ γνώριμα.

ERA. Et myſticè dicta ſunt myſtica, & perſpicuè explicata ſunt, quæ non ab omnibus intelliguntur.

ΟΡΘΟ. Ἐπειδὴ τοίνυν συνωμολόγηται, καὶ στολὴν καὶ περιβολὴν ὑπὸ τοῦ πατριάρχου τὸ δεσποτικὸν ὠνομάσθαι σῶμα, εἰς δὲ τὸν περὶ τῶν θείων μυστηρίων εἰσεληλύθαμεν λόγον, εἰπὲ πρὸς τῆς ἀληθείας, τίνος

ORTHO. Cùm igitur conſtet, & ſtolam & pallium à Patriarcha Dominicum appellari corpus, & in ſermonem de divinis myſteriis ingreſſi ſimus, dic per veritatem, cujus putas

tas

ἡγῆ σύμβολόν τε καὶ τύπον τὴν παναγίαν τροφήν; τῆς θεότητος τοῦ δεσπότου χριστοῦ; ἢ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος;

ΕΡΑ. Δῆλον ὡς ἐκείνων, ὧν καὶ τὰς προσηγορίας ἐδέξαντο.

ΟΡΘΟ. Τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος λέγεις.

ΕΡΑ. Οὕτω λέγω.

ΟΡΘΟ. Φιλαλήθως εἴρηκας· καὶ γὰρ ὁ κύριος τὸ σύμβολον λαβὼν, οὐκ εἶπε, τοῦτό ἐστιν ἡ θεότης μου, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. καὶ πάλιν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, καὶ ἑτέρωθι. Ὁ δὲ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

tas ſymbolum & typum eſſe ſanctiſſimum cibum? Divinitatis ne Domini Chriſti, an corporis & ſanguinis?

ERA. Non dubium eſt, quin illorum ſymbola & typi ſint, quorum & nomina acceperunt.

ORTHO. Corporis & ſanguinis dicis?

ERA. Sic loquor.

ORTHO. Oratione uſus es, quæ amorem veritatis præ ſe fert. Nam Dominus ſymbolum accipiens, non dixit: Hæc eſt divinitas mea, ſed: Hoc eſt corpus meum. Et rurſus: Hic eſt ſanguis meus. Et alibi (Joh. 6.) Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.

Alter verò locus ex Dial. II. ita habet.

ΟΡΘ. Εἰπὲ τοίνυν τὰ μυστικὰ σύμβολα παρὰ τῶν ἱερωμένων τῷ Θεῷ προσφερόμενα τίνων ἐστὶ σύμβολα;

ΕΡΑ. Τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε, καὶ αἵματος.

ΟΡΘΟ. Τοῦ ὄντως σώματος, ἢ οὐκ ὄντως;

ΕΡΑ. Τοῦ ὄντως.

ΟΡΘΟ. Ἄριστα. Χρὴ γὰρ εἶναι τὸ τῆς εἰκόνος ἀρχέτυπον. Καὶ γὰρ οἱ ζωγράφοι τὴν φύσιν μιμοῦνται, καὶ τῶν ὁρωμένων γράφουσι τὰς εἰκόνας.

ΕΡΑ. Ἀληθές.

ΟΡΘΟ. Εἰ τοίνυν τοῦ ὄντως σώματος ἀντίτυπά ἐστι τὰ θεῖα μυστήρια, σῶμα ἄρα ἐστὶ, καὶ νῦν τοῦ δεσπότου τὸ σῶμα, οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλησθέν.

ORTH. Dic igitur, myſtica ſymbola à Sacerdotibus Deo oblata, quarum rerum ſunt ſymbola?

ERA. Dominici corporis, & ſanguinis.

ORTH. Verine corporis, an non veri?

ERA. Veri.

ORTH. Optimè. Oportet enim imaginis eſſe archetypum. Nam & pictores naturam imitantur, & rerum viſibilium pingunt imagines.

ERA. Verum eſt.

ORTH. Si igitur veri corporis exemplaria ſunt divina myſteria, corpus Domini nunc quoq; corpus eſt, non in divinitatis naturam mutatum, ſed divinæ gloriæ plenum.

ERA.

ΕΡΑ. Εἰς καιρὸν τὸν περὶ τῶν θείων μυστηρίων ἐκίνησας λόγον. Ἐντεῦθέν σοι γὰρ δείξω τοῦ δεσποτικοῦ σώματος τὴν εἰς ἑτέραν φύσιν μεταβολήν. Ἀπόκριναι τοίνυν πρὸς τὰς ἐμὰς ἐρωτήσεις.

ERA. Opportunè de divinis myſteriis intuliſti ſermonem. Inde enim tibi demonſtrabo, Dominici corporis in aliam naturam mutationem. Reſponde ergo ad meas interrogationes.

ΟΡΘ. Ἀποκρινοῦμαι.

ORT. Reſpondebo.

ΕΡΑ. Τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον δῶρον, πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως.

ERA. Quid vocas oblatum donum ante Sacerdotis pronunciationem?

ΟΡΘ. Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. Εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι.

ORTH. Non eſt aperto ſermone utendum. Fieri enim poteſt, ut adſint aliqui nondum myſteriis initiati.

ΕΡΑ. Αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω.

ERA. Proponatur ergo in forma ænigmatis reſponſio.

ΟΡΘ. Τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφήν.

ORTHO. Cibum ex talibus ſeminibus.

ΕΡΑ. Τὸ δὲ ἕτερον σύμβολον, πῶς ὀνομάζομεν;

ERA. Quomodo alterum ſymbolum nominamus?

ΟΡΘ. Κοινὸν καὶ τοῦτο ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον.

ORTH. Commune & hoc nomen eſt, poculi ſpeciem ſignificans.

ΕΡΑ. Μετὰ δέγε τὸν ἁγιασμὸν, πῶς ταῦτα προσαγορεύεις;

ERA. Poſt ſanctificationem verò quomodo hæc appellas.

ΟΡΘΟ. Σῶμα Χριστοῦ, καὶ αἷμα Χριστοῦ.

ORTH. Corpus Chriſti, & ſanguinem Chriſti.

ΕΡΑ. Καὶ πιστεύεις γε σώματος Χριστοῦ μεταλαμβάνειν καὶ αἵματος;

ERA. Credíſne te percipere corpus Chriſti & ſanguinem?

ΟΡΘ. Οὕτω πιστεύω.

ORTH. Sic credo.

ΕΡΑΝ. Ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε, καὶ αἵματος, ἄλλα μέν εἰσι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δέγε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται· οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν, εἰς τὴν οὐσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν.

ERA. Quemadmodum igitur ſymbola Dominici corporis & ſanguinis alia ſunt ante Sacerdotis pronunciationem, poſt pronunciationē verò mutantur, & alia fiunt: Ita Dominicum corpus poſt aſcenſionem in diuinam eſſentiam mutatum eſt.

ΟΡΘΟ. Ἑάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσιν. Οὐδὲ γὰρ

ORTH. Implicatus es laqueis quos con-

μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν. Νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. Παράθες τοίνυν τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα, καὶ ὄψει τὴν ὁμοιότητα. Χρὴ γὰρ ἐοικέναι τῇ ἀληθείᾳ τὸν τύπον. Καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα, τὸ μὲν πρότερον εἶδος ἔχει, καὶ σχῆμα, καὶ περιγραφήν. Καὶ ἁπαξαπλῶς εἰπεῖν, τὴν τοῦ σώματος οὐσίαν. Ἀθάνατον δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γέγονε καὶ κρεῖττον φθορᾶς, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν ἠξιώθη καθέδρας, καὶ παρὰ πάσης προσκυνεῖται τῆς κτίσεως, ἅτε δὴ σῶμα χρη-

contexuiſti. Nequaquam enim poſt ſanctificationem myſtica ſymbola propriam amittunt naturam. Manent enim in priore ſubſtantia, & figura & ſpecie, & cerni ac tangi poſſunt, ſicut antea. Intelliguntur autem quæ facta ſunt & creduntur, & adorantur, quaſi eſſent illa, quæ creduntur. Confer igitur archetypum cum imagine, & videbis ſimilitudinem. Oportet enim typum ſimilem eſſe veritati: illud enim corpus priorem habet formam, & figuram, & circumſcriptionem, & ut ſummatim dicam, corporis eſſentiam. Etiamſi poſt reſurrectionem immortale & immune à corruptione factum eſt, & ad dexteram Dei collocatum ab

ματίζον τοῦ δεσπότου τῆς φύσεως.

ΕΡΑ. Καὶ μὴν τὸ μυστικὸν σύμβολον, τὴν προτέραν ἀμείβει προσηγορίαν. Οὐκέτι γὰρ ὀνομάζεται ὅπερ πρότερον ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ σῶμα προσαγορεύεται. Χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἀλήθειαν, Θεὸν, ἀλλὰ μὴ σῶμα καλεῖσθαι.

ΟΡΘΟ. Ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς. Οὐ γὰρ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄρτος ζωῆς ὀνομάζεται. Οὕτως αὐτὸς ὁ κύριος προσηγόρευσε. καὶ αὐτὸ δὲ τὸ σῶμα, θεῖον ὀνομάζομεν σῶμα, καὶ ζωοποιὸν, καὶ δεσποτικὸν, καὶ κυριακὸν, διδάσκοντες, ὡς οὐ κοινοῦ τινός ἐστιν ἀνθρώπου, ἀλλὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χρι-

omni creatura adoratur, quia corpus appellatur naturæ Domini.

ERA. Imò myſticum ſymbolum priorem mutat appellationem. Non enim ampliùs nuncupatur, quod antea vocabatur, ſed corpus nominatur. Oportet igitur etiam veritatem, Deum, & non corpus vocari.

ORTH. Videris in maximarum rerum ignoratione verſari. Non enim corpus tantùm, ſed etiam panis vitæ nominatur. Hâc enim appellatione Dominus uſus eſt (Joh. 6.) Idem porrò corpus, divinum, & vivificum, & Dominicum appellamus, docentes, quòd non communis alicujus hominis ſit, ſed Domini noſtri Jeſu Chri-

ſti,

ςοῦ, ὃς Θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος, Ἰησοῦς γὰρ Χριστὸς χθὲς, καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.	ſti,qui Deus eſt,& homo (Hebr. 13.) Jeſus enim Chriſtus heri & hodie, idem etiam in ſecula.

Quid amabò, à *Theodoreto* proponitur, quod ſuum eſſe Reformati nolint? Conveniunt *re*, ſive cauſa, quam *Theodoretus* defendendam ſuſcepit, primaria. Nullam nempe in Sacramento Cœnæ Dominicæ Elementorum fieri converſionem ſubſtantialem; ſed nominum tantùm mutationem, & πρόσθεσιν χάριτος, *additamentum gratiæ*. Sed neque fieri eam poſſe, cùm eadem illius ſit ratio, quæ incarnationis; hanc enim ad illam ſe habere, ut πρωτότυπον ad ſuum τύπον, vel ἀντίτυπον; Incarnationem autem ab Eccleſia adorari ἄτρεπτον, ἀδιαίρετον, ἀσύγχυτον, ἀχώριστον, *ſine mutatione, divulſione, confuſione aut ſeparatione*. Aut ergo Eutychianiſmum adverſarii incauti imbibent, aut Transſubſtantiationis commento, ex Theodoreti argumentatione, repudium mittent. Conveniunt *modis loquendi*. Nam & Reformati eaſdem cum Theodoreto amant loquendi formulas: *Myſtica ſymbola, veri, non imaginarii aut phantaſtici, Dominici corporis eſſe ſymbola: Panem poſt conſecrationem, vocari corpus Chriſti; neque tamen propterea myſtica ſymbola propriam*

naturam amittere: Manere enim in priori ſubſtantia, & figura & ſpecie, & videri tangique poſſe, qualia etiam prius erant. Placuiſſe autem Salvatori nomina permutare, & corpori quidem ſymboli nomen imponere; ſymbolo vero corporis nomen; ut ne nempe intenti eſſemus in naturam eorum, quæ cernuntur; ſed per nominum mutationem crederemus ei, quæ ex gratia facta eſt, mutationi. Quid deſiderari à quoquam queat ad mutuum monſtrandum conſenſum? Res noſtra eſt, verba noſtra ſunt; neutrum, Vir doctiſſime, veſtrum. Vel annon citiùs ex pumice aquam, quàm ex prolixa & erudita Theodoreti diſputatione Transſubſtantiationis elicias dogma? An Viri doctiſſimi, ad tam claram lucem, exceptionibus, quæ puræ putæ ſunt petitiones Principii, locus ſupereſſe poſſit, ipſe viderit. Si contradicere, excipere, negare ſatis ſit, mox nivem habebimus atram; diem noctem; lucem tenebras, Æthiopem album.

B. Theodoreto locupletiſſimum illud totius antiquitatis eruditæ compendium & cornucopiæ *Epiphanium*, Salaminæ Epiſcopum, in Anchorato ita loquentem, adjungimus: Καὶ εὐχαριστήσας εἶπε τοῦτό μού ἐστι τόδε, καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσιν τῶν μελῶν. τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς καὶ ἀναίσθητον. ὡς πρὸς τὴν δύναμιν, καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μού ἐστι τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπι-

στεῖ

ςεῖ τῷ λόγῳ. *Et cùm benedixiſſet, dixit: Hoc meum iſtud eſt* (corpus) *& videmus, quòd nec par eſt, nec ſimile, aut corporea figura, aut inviſibili divinitati, nec lineamentis membrorum. Hoc enim rotundum & ſenſus expers. Quantum ad virtutem, gratiâ dicere voluit, hoc eſt meum iſtud, & nemo huic ſermoni fidem derogat.* Vix, in tota antiquitate, locus brevior, qui tamen majori ſucceſſu jugulum Transſubſtantiationi petat. Opponit inter ſe *Epiphanius* panem, & verum corpus Chriſti. *Illum* exprimit corpus rotundum, ſenſus expers, ideóque aſſumtæ carnis figuræ non ſimile, nec ullo modo æquale, neque inviſibili divinitati, nec membrorum lineamentis. Omnes ſimilitudinis ſpecies removet, ut panem in Euchariſtia manere panem, id eſt, ut loquitur *Irenæus*, rem terreſtrem, probet doctiſſimus Pater. Et tamen de hoc pane, toto cœlo à Chriſti vel humanitate vel divinitate diverſo, δυνάμει, χάριτι, ſive, ut loquitur Theodoretus, προσθέσει τῆς χάριτος τῇ φύσει, dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Quæ verò illa δύναμις, quæ χάρις, de qua *Epiphanius*? Eſt *virtus* illa, quam veteres Latini appellarunt, *Sacramenti*, quâ (ſic loqui iterum placeat cum Auguſtino ex Tract. 80. in Joh.) accedente verbo ad Elementum, inſtitutione & ordinatione divina fit Sacramentum. Eſt χάρις illa, quâ panis fit corpus Chriſti pro nobis traditum; non mutata-

tatione ſubſtantiæ; ſed additione uſus, ἵνα οὐκ ἄρτος ἡμῖν γένηται δύναμις, ἀλλὰ δύναμις ἄρτου *ut non panis ſit nobis virtus, ſed virtus, quæ in pane eſt*; ut idem *Epiph.* loquitur in Expoſit. fidei. Prorſus ut *Ambroſius* de baptiſmo ſcripſit, *ſi qua in aqua gratia ſit, non ex natura eam aquæ, ſed ex præſentia Sp. S. procedere.* Nihil hîc de Speciebus, aut Accidentibus panis, nihil de pane converſo, nihil de fanatica recentiorum concomitantia: Clarè omnia & perſpicuè tradunt, Chriſtum panem vocâſſe corpus, neque tamen illum cum hoc, quoad ſubſtantiam, aut externa etiam lineamenta, quicquam habere commune.

C. Unum adhuc addimus, *Macarium*, Ægyptium, cujus ex Homilia 27. verba ſatis ſunt emphatica. Ὅτι, inquit, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος, ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι. *Quod in Eccleſia offertur panis & vinum, antitypum carnis & ſanguinis ejus. Et qui participant de viſibili pane, Spiritualiter carnem Domini comedunt.* Nos quoq; & dicimus, & docemus, panem atq; vinum offerenda, Symbola eſſe & elementa; non Accidentia: eſſe antitypa, carnis & ſanguinis Chriſti: eos, qui de viſibili pane, non ſpeciebus luſoriis, dignè participant, Spiritualiter carnem Domini edere. An idem

Ro-

Roma vel ſentit, vel loquitur? Cur ergò, quòd in antiquitate ipſi mirantur, colunt, venerantur, in nobis, propterea quòd & noſtrum ſit, & cum veteribus commune, flagitium cenſeatur, aut ſcelus? Parùm abeſt, quin veterum nobis repetenda veniat querela: *Bonus vir Cajus Sejus, ſed malus tantùm, quòd Chriſtianus*; Tertull. Apol. cap. 3.

III. In *Syriam* ſi transfretare lubeat, in ipſo ſtatim portu præſtò erit magnus ille *Syrorum Propheta*, (hoc enim ei axioma Eccleſia Syriaca tribuit) *Ephramus, Magiſter* aliâs *orbis* appellatus, cujus tanta apud Veteres fuit authoritas, ut poſt lectionem Scripturarum, publicè, in quibuſdam Eccleſiis, ejus ſcripta fuerint recitata. Hic etiam adeò feliciter controverſiam Sacramentariam dirimit, ut & prælium & bellum Euchariſticum tribus ferè expediat periodis. Ita enim apud Photium C. 229. Τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ, καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας (τοῦ ἄρτου δηλαδὴ) οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. Καὶ τὸ βάπτισμα δὲ πνευματικὸν ὅλον γινόμενον, καὶ ἓν ὑπάρχον, καὶ τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διασώζει, καὶ ὃ γέγονεν, οὐκ ἀπώλεσεν. *Corpus Chriſti, quod à fidelibus accipitur, ſubſtantiam ſenſibilem* (panis videlicet) *non amittit, & à gratia ſub intelligentiam cadente, inſeparatum manet: Baptiſmus quin etiam, etſi totus Spiritualis ſit factus, & unus tan-*

tantùm exiſtat, proprietatem ſubſtantiæ ſenſibilis, aquæ nimirum, ſervat, & id quod fuit, eſſe non deſinit. Nihil evidentius ad noſtræ ſententiæ explicationem. Si manducationem adhuc Spiritualem (ut per omnia habeamus conſentientem Eccleſiam Syriacam) deſideres, en locum Symbolicum, ex Syrorum *Gazophylacio* (hoc libri nomen eſt) depromtum: *Corpus tuum, quod accepimus, & ſanguis tuus vitæ, quem bibimus* per fidem, *ſit pons & vadum, quo liberati ab igni & gehenna, hæreditatem conſequamur vitæ.*

IV. *Latina Eccleſia* non exempla nobis tantùm ſuppeditat; ſed & regulas de Sacramentalibus locutionibus præſcribit, per quas Sacramenta, viſibilia eſſe ſigna, inviſibilis gratiæ colligimus. Proinde cujuslibet Sacramenti materiam eſſe geminam, externam ſigni; internam rei ſignificatæ. Sacramenta neceſſariò quandam habere ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta. Panem in Cœna, quoad ſubſtantiam, manere panem; & vinum, ut ſimilitudinem gerere poſſint corporis & ſanguinis Chriſti, cujus ſunt Sacramentum, manere vinum.

Latina Eccleſia diſertis nobiſcum proponit verbis: *Sacramentum corporis* (ſunt ipſiſſima. *Facundi*, Epiſcopi Hermianenſis, verba lib. 9.) *& ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſe-*

ſecrato, corpus ejus & ſanguinem dici, non quod propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis; ſed quòd in ſe myſterium corporis ſanguiniſque contineant. Hinc factum, ut & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocaverit.

V. Num quid hîc vel violentum, vel tortum, vel mutilatum, præcipitatum, obſcurum, flexiloquum? Adverſarii contrà, ubi vel umbram eminus vident, fugientem etiam in obſequium cauſæ cogere allaborant. Loca reperias, quæ Transſubſtantiationem penitùs evertunt, & tamen propter ægrè blandientem ἀκυρολογίαν, ea ſuæ ὑποθέσει δουλεύειν cogunt. *Gelaſius*, (ut vel unico agamus exemplo) quem Epiſcopum Romanum fuiſſe non noſtri modò obſervant; ſed & Romanæ Eccleſiæ Theologi libenter concedunt, quod, ſuo loco, contra Virum doctiſſimum, commodiùs monebimus; Tract. adverſ. Eutych. & Neſtorium ita ſcribit. *Sapientia ædificavit ſibi domum, ſeptiformis Spiritus ſoliditate ſubnixam, quæ incarnationis Chriſti, per quam efficimur divinæ conſortes naturæ, miniſtraret alimoniam. Certè Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod, & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, (alii,* propterea, quòd per eadem divinæ conſortes efficimur naturæ) *&*

tamen

tamen eſſe non deſinit ſubſtantia,vel natura panis,vel vini. Et certè imago,& ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter oſtenditur,hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum,quod in ejus imagine profitemur,celebramus,et ſumus(alii,ſumimus)*ut ſicut in hanc, ſcilicet in divinam tranſeunt,ſancto Spiritu perficiente,ſubſtantiam; permanent tamen in ſua proprietate natura (alii,*eodem ſenſu, *legunt:* ut ſicut hæc ſcilicet in divinam tranſeunt, Spiritu perficiente,ſubſtantiam,permanente tamen in ſua proprietate natura) *ſic illud ipſum myſterium Principale,cujus nobis efficientiam, virtutémque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat,propriè permanentibus,unum Chriſtum,quia integrum verúmque permanere demonſtrant.* Hic verò univerſus textus,tum quoad ſenſum,tum quoad verba,pro Reformatis militat: ſenſum etiam & verba Reformati admittunt. Agnoſcunt,cum *Gelaſio, duas in Chriſto Naturas:* Negant verò, illas *vel confundi,vel converti,vel mutari ſubſtantias:* Exemplo, ἀτρέπτου incarnationis,myſterium utrinque illuſtrant *Symbolorum Cœnæ Dominicæ*: quæ, etſi *divina fiant res, per conſecrationem, eandem tamen conſtanter Naturam retineant,vel ſubſtantiam:* Hoc verò exemplum propterea rejici non poſſe, quia Symbola Sacramentalia, Panis

&

& vinum, *imago ſint & ſimilitudo, quæ prototypi virtutem & efficaciam veraciter repræſentent.* Et tamen, quia Gelaſius dixit, *tranſire Sacramenta in divinam ſubſtantiam*, & ſcopum Gelaſii, & vim argumenti, & phraſeologiæ apertam Emphaſin invertere, enervare, atque obſcurare Adverſarii malunt, quàm triumphanti hîc veritati palmam concedere. Dixit Gelaſius, Sacramenta *tranſire in divinam ſubſtantiam*: Non negamus. Sed an per μετουσίωσιν ſive μετουσιασμὸν, *Tranſſubſtantiationem?* Atqui hoc expreſſè Gelaſius non modò negat; ſed firmiſſimis rationibus refutat. Poſtquam enim prolixè jam antè diſputâſſet, Verbum, Λόγον aſſumſiſſe carnem ἀτρέπτως, i.e. ut veteres loquebantur Græci, οὐ τροπὴν ὑποστάντα, οὐδὲ μεταβαλόντα τὴν ἑαυτοῦ θεότητα εἰς ἀνθρωπότητα *neque ſubeuntem mutationem, neq; convertentem ſuam ipſius Deitatem in humanitatem*; efficaciſſimum argumentum tandem; ex natura & conditione Symbolorum Sacramentalium; Orthodoxus author ſtruit. Quod verò argumenti robur, quæ medii termini vis illativa, ſi realem Subſtantiæ mutationem, quam omnibus deſtruere viribus curæ habuit, quámque Orthodoxa ſemper Eccleſia anathemate damnavit, in Cœna Domini aſſeruiſſet? Certè, in tyronibus Dialecticæ inepti ejuſmodi & inſulſi Paralogiſmi, abſque Orbilii cenſura, vix tolerarentur;

K &

& nos tanti viri in dubium vocemus vel mediocrem argumentandi dexteritatem? Hæc verba, hic ſenſus, hæc meta eſt Gelaſii: Quemadmodum in myſterio principali natura divina non eſt converſa in humanam, ſed Verbi divinitas aſſumſit humanitatem; ſic in Sacramento corporis, panis Subſtantia non mutata eſt, nec converſa in divinam ſubſtantiam corporis Chriſti. Hoc eſt quod Gelaſius vult, quod doctè probat, quod Eccleſiæ Orthodoxæ nomine Eutychianis feliciter opponit. *Manent tamen ſemper verba*: Tranſire Sacramenta in divinam ſubſtantiam. Ita eſt, manent verba; ſed facili, commodo, & eo quidem ſenſu, qui Authoris ſcopum non pervertat explicanda. *Tranſire* ergo dicuntur *in ſubſtantiam* divinam, non mutatione ſubſtantiæ in ſubſtantiam, qualem Poëtæ olim in ſuis Metamorphoſibus fabulabantur; ſed προσθέσει, additione rei cœleſtis. Aliud enim, per conſecrationem & inſtitutionem divinam, fiunt Elementa, quàm erant per naturam; *ſubſtantiámque divinam* accipiunt, quatenus res cœleſtis, corpus Chriſti, modo Sacramentali, adjungitur terreſtri. Hæc eſt illa μεταβολὴ, hic *tranſitus*, quem veteres in ſola adjunctione gratiæ, ad utramque ſubſtantiam, panis & vini, agnoſcebant. Nec *ſubſtantia* vocabulũ hoc loco quicquam aliud infert, quàm *veritatem*, & *realitatem præſentiæ*; opinioni & exiſtimationi op-

oppoſitam. Etſi enim panis in Sacramento ſit ſignum corporis; ſuo tamen modo ipſum etiam eſt corpus: Non per mutationem ſubſtantiæ, ſed per denominationem,& divinam operationem,per quam fit,ut re ipſa & in veritate ſumamus in legitimo Euchariſtiæ uſu,corpus & ſanguinem Chriſti,quæ propterea *ſubſtantia divina* vocatur, quòd,ceu res divina, veraciter exiſtit,non in opinione ſubſiſtit; quæ καθ' ὑπόστασιν extat,non κατ' ἔμφασιν apparet.

VI.Si plura expectaverit,Vir doctiſſimus,Antiquitatis ſuffragia, per omnia nobis ὁμόψηφα, non denegaremus, modò præſtituti brevitatis cancelli in ampliſſimum excurrendi campum veniam darent. Videt ſpero,non ita copias noſtras eſſe contractas,ut unius atque alterius Patris mutilatum, truncatum,fidiculis extortum, adeóque invitum emendicare calculum,neceſſe habuerimus: Sponte ſe offerunt,magnóque conatu,conferto quaſi agmine Transſubſtantiationem impugnant illi,quorũ authoritas in Eccleſia & magna ſemper fuit,& meritò eſſe debet.

VII.Vidimus, antiquitatem;in iis locis,ubi de Sacramento S. Cœnæ illa agit ex profeſſo; totam eſſe noſtram: cominius jam congreſſuri,inſtructas argumentorum acies ex Antiquitate, *Transſubſtantiationis* opponere poſſemus *novitati*; ſed quando receptui paulatim canendum eſt, ad claſſes hac vice tantùm argumento-

 rum;

rum; textibus,ex quibus illa petita,obiter indicatis; digitum intendemus, eorúmq; defenſionem,qualibet data occaſione ſuſcipere,pleniúſq; ea exponere parati ſumus. Ergò;ut videat doctiſſimus Vir,quantum de Antiquitate ſobriè intellecta nobis in antitheſi polliceamur;negamus conſtanter,Transſubſtantiationem illi placuiſſe. Qui enim docent,

1. Chriſtum de *pane*,non verò *individuo vago* dixiſſe, Hoc eſt corpus meum; illi Transſubſtantiationem nullam ſtatuunt. Atqui Patres, [a] *Irenæus*, [b] *Tertullianus*, [c] *Origenes*, [d] *Hieronymus*, [e] *Chryſoſtomus*, [f] *Auguſtinus*, [g] *Cyrillus* Hieroſolymitanus, [h] *Theodoretus*, &c.

a. Lib.4.adv.hær. c.34.& lib.5. b. Lib.4.adv.Marc. c.40. c. In Matth.tract.ſive Homil.12. d. Lib.17.in Jeſ.c.62.& ad Hedib. e. In Matth.hom.82. & Pſalm. 22. f.Serm.ad Infant. g.Catech.Myſt.3.&c. h.Dial. 1.c.8.&Dial.2.c.24.

2. Qui tradunt,Tropum vel eſſe in *Copula*; quam proinde per *ſignificat,repræſentat,memorat*; interpretantur; vel in *Prædicato*; dum panem & vinum vocant corporis & ſanguinis Chriſti *ſigna, Sacramenta, Figuras, Symbola, typos, Antitypa, Myſteria, Exemplaria, ſimilitudines,imagines,memorias*; illi nullam ponunt Transſubſtantiationem. Atqui illud planè

Digitized by Google

cuit [a] *Tertulliano*, [b] *Baſilio*, [c] *Euſebio*, [d] *Hieronymo*, [e] *Auguſtino* [f] *Cyrillo Alexand*: Hoc [g] *Origeni*, [h] *Gregorio Nazianzeno*, [i] *Chryſoſtomo*, [k] *Hieronymo*, [l] *Theodoreto*, &c.

a. Lib. 1. cont. Marc. b. 1.de Baptiſ. c. Lib. 1.demonſt.Ev.c.ult.& lib.8.c.1. d. In c.26. Matth.1. Cor.11. e. Epiſt.23.ad Bonif.confer Sentent. Prosp.de Conſec.diſt 2 c.48.52. f. Lib.12.c.18.g.In Pſal.138.h. Orat. de Paſch. In Apolog. 1. i. Hom.82.in Matth.Homil.17.ad Heb.Pſal.22. k Lib.2.cont.Jovinian. l. Dial.1.

3. Qui aſtruunt, manducationem Corporis Chriſti non *oris*, ſed *cordis*; qui Sacramenti quidem *Symbola* agnoſcunt *ſenſibilia*, rem verò intelligibilem; illi longè abſunt à Transſubſtantiatione Pontificia. Atqui [a] *Cyprianus*, [b] *Auguſtinus*, [c] *Ephramus*, &c.

a. Serm. de Cœn. b. Tractat.26.in Joh.Tract.27. cont. Adverſ.Leg.& Proph.l.2.c.9. de Civ.Dei l.21.c.25. In Pſal.98.c.Sup.p.139.

4. Qui expreſſè aſſerunt, & *aſcenſionem Chriſti*, & *ejusdem* de manducatione Corporis & ſanguinis, ſeu *ſermonem c. 6. Johannis* habitum, obſtare, quò minùs verba Inſtitutionis propriè poſſint intelligi; illi nullam admittunt Transſubſtantiationem: Atqui [a] *Athanaſius*, [b] *Auguſtinus*, [c] *Chryſoſtomus*, &c.

a. In locum: Qui dixerit verbum &c. b. Tract.27.& 50. in Johan. c. Homil.82. in Matth.& 61.ad popul.Antioch.

5. Qui Euchariſtiæ Sacramentum, panem & vinum propriè nominant, etiam poſt conſecrationem; illi Transſubſtantiationem nullam agnoſcunt: Atqui [a] *Ignatius*, [b] *Iuſtinus*, [c] *Irenæus*, [d] *Tertullianus*, [e] *Euſebius Cæſarienſis*, [f] *Gaudentius*, [g] *Chryſoſtomus*, [h] *Ambroſius*, [i] *Auguſtinus*, [k] *Cyrillus Alexand.* [l] *Fulgentius*, [m] *Gennadius*, [n] *Iſidorus*, &c.

a. Epiſt. ad Philadel. b. Ad finem Apol. 2. Dial. cum Tryph. c. Lib. 4. adv. hær. c. 32. 34. d. Lib. 3. adv. Marc. c. 19. & lib. 4. c. 40. e. Lib. 8. demonſt. Ev. c. 1. f. Tract. 2. in Exod. g. Homil. 82. in c. 26. Matth. v. 29. h. Lib. 4. de Sacram. c. 4. i. Tract. 26. in Joh. lib. 3. de Trinit. c. 10. k. Lib. 4. in Joh. c. 14. l. Lib. de fide ad Pet. Diac. c. 19. m. Lib. de dogmat. Eccleſiaſt. cap. 75. n. Lib. 6. de offic. Eccleſiaſt. c. 18.

6. Qui volunt, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe cibum viſibilem, nutrientem noſtra corpora, qui tangatur, dentibúſque comminuatur, illi utique non propriè, multò minùs Transſubſtantiativè, ſed Metonymicè de eo loquuntur. Atqui [a] *Iuſtinus Martyr*, [b] *Irenæus*, [c] *Cyprianus*, [d] *Auguſtinus*.

a. Apol. 2. ad finem. b. Lib. 4. adv. hæreſ. c. 34. & poſt init. lib. 5. p. 438. c. Serm. de Cœn. Dom. d. Tract. 26. in Johan.

7. Qui negant, Chriſtum corporaliter præſentem in Euchariſtia; Illi negant Elemento-

rum

rum Transſubſtantiationem; Atqui *Cyrillus Alex.*[b] *Auguſtinus*,&c.

[a]. Lib. 10. in Joh.c.38.lib.11.c.3.& 21. [b]. In Pſal. 98.Tract.106.in Joh.

8. Qui corpus Chriſti ab infidelibus Sacramento tenus manducari docent, & quoad ſymbola externa; illi Transſubſtantiationis Patroni non ſunt: Atqui [a] *Hieronymus*, [b] *Cyprianus*, [c] *Auguſtinus*.

[a]. In c.66.Jeſ.& in Hoſ.lib.2.c.8. [b]. Serm. de Cœn. [c]. Tract.26.& 53.in Joh. de Civit.Dei lib.21.c.25.

9. Qui diſertis docent verbis, panem & vinum ſubſtantiam ſuam non mutare; Illi nullam admittunt Transſubſtantiationem. Atqui *Græcis* uſitatum eſt confiteri, Elementa Sacramentalia [a] οὐκ ἐξίστασθαι τῆς φύσεως, Naturâ ſua non excedere; [b] ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας μένειν, in priori ſubſtantia manere: *Latini*,[c] non effigie, nec naturâ mutari.

[a].Ephræm.apud Phot.C.229.[b].Theod.Dial.2.[c].Auth. tract.de Cœn.Dom.

10. Qui ſtatuunt diſtinctas duas res Cœnæ Dominicæ, rem terrenam, Elementum (quis enim aſſerere auſit, ſaporem, colorem ſine ſubſtantia Veteres rei terrenæ nomine intellexiſſe, & in partis locum venire integrantis, vel Eſſen-

 tia-

tialis, cum ipſa re divina?) & cæleſtem, corpus Domini; Illi à Transſubſtantiatione longè recedunt. At [a] *Irenæus*, [b] *Auguſtinus*, &c.

[a]. Lib. 4. c. 34. [b]. Lib. ſentent. Proſper. apud Gratianum de Conſecrat: c. 48. Hoc eſt, quod dicimus.

11. Qui docent, eandem eſſe rationem aquæ in Baptiſmo, olei in chriſmate, quæ panis & vini in Cœna Domini, illi negant Transſubſtantiationem. Atqui Patres, &c. Conſequentia manifeſta eſt. Quis enim unquam Patrum dixit aut ſenſit, Aquam Baptiſmi in ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter mutari? Aſſumtum probatur authoritate [a] *Auguſtini*, [b] *Ephram* [c] *Cypriani*, &c.

[a]. Tract. in Joh. 80. [b]. Apud Phot. c. 229. [c]. Lib. de unct. Chriſmat.

VIII. Habes, Vir doctiſſime, Patrum conſenſum. Si quid fortè, veſtræ cauſæ in Antiquitate favere videatur, ereptum illud pridem vobis eſt atque vindicatum, tum ab aliis, tum verò & cumprimis ab *Hoſpiniano* noſtro, poſtea etiam *Chamiero*, *Riveto*; nuper *Davide Blondello*, *Thoma Mortono* de Euchariſt. & *Forbes*. Inſtruct. Hiſt. Theol. Habeatis igitur hinc inde Patres, qui dum aliud agunt; *Mutationis*, *immutationis* vocabula adhibent, nunquam tamen habebitis, vel vocem *Transſubſtantiationis*, vel rem, panem in corpus, ſubſtantiam in ſubſtantiam mu-

mutatam. Videatur alicubi *Cyrillus Hieroſolymitanus*, videantur alii pro Transſubſtantiatione rem dare confectam, cùm dixerint, *panem, qui apparet, non eſſe panem, quamvis ex guſtu ita videatur; ſed eſſe corpus Chriſti*; mox tamen ad ſe redibunt, & luculentiſſimis Epithetis, phraſibus apertiſſimis condocefacient, neque panem ſubſtantialiter ſe velle mutatum, neque vinum; devotionem autem excitaturis voces iſtas placuiſſe, ut diſcerent religioſi communicantes, non eſſe *ἄρτον, λιτὸν, panem communem*; ſed *πνευματικὸν ἄρτον, panem Spiritualem*, ut idem ille loquitur *Cyrillus*. Loquantur alicubi de ſuo, ut homines; mox tamen, ut Doctores Evangelici ad originem Dominicam nos rejiciunt. His obſervatis regulis, repetimus, noſtros eſſe Patres, non ex laciniis, ſed ex integris diſputationibus, textuum collationibus, benigniori phraſium duriorum explicatione, ſecundum Scripturæ Canonem, quem nobis religioſè commendant, intellectos. Atque hoc eſt tantopere jactatum, & ad nauſeam ab Adverſariis inculcatum Antiquitatis præſidium.

SECTIO XII.

Transſubſtantiatio Principia Naturæ evertit.

I. Scio, laterem lavari, quoties Adverſariis *Naturæ* ordinem objicimus in *Gratiæ* myſterio. Sed in ſe deſcendere deberent, ſerióque cogitare, hæc potiſſimùm arma in ſuis cudi officinis. Pridem certè, in Schola Pontificia, concluſio ex principio revelato & naturali indubitatæ fuit fidei. Nec inter locos in Theologia, unde ſolida deduci poſſunt argumenta, locum *à ratione Naturali* loco motum, à quoquam ipſorum, Vir doctiſſimus facilè inveniet. Mitto obſcura veterũ, qui de uſu rationis etiam in Theologicis ſcripſerunt, nomina, *Rodolphi Strodi, Richardi de Ferebrid, Henrici Tisberg*. Recentiores, *Canus, Salmeron, Vaſquez, Valentia, Peſantius, Rippa, Bannes*, &c. & noſtri ſunt, & ferventiores. Et ne lóngè abeamus, aut univerſum campum Theologicum percurramus, cur non vident boni viri manticæ quod in tergo eſt? Cur non obſervant, Theologos ſuos de Euchariſtia differentes, neque amare phraſeologiam Dominicam, neque ſimplicitatem Apoſtolicam; ſed portentoſa verborum monſtra, perverſa & abſurda novæ Philoſophiæ obtrudere prodigia? Au-

Digitized by Google

Audiamus,ſpeciminis loco,vel unum,ſed non de fece Scholaſticum. *Conſecrationis verba* (recito textum ex *Thom.* opuſc. 4. & *Auguſt. Barb.* Concil. Trident. pag. 72.) *cum debita intentione à Sacerdotibus prolata,panem & vinum in corpus & ſanguinem transſubſtantialiter convertunt,& Chriſtus Deus,& homo perfectus,& in tanta quantitate,quanta fuit in cruce,& eſt in cœlo,ſub modici panis ſpecie taliter continetur, ut manducetur à fidelibus & minimè laceretur, taliter continetur, ut dividantur Species; Chriſtus verò integer perſeveret: quia nec augetur ex augmento,vel pluralitate ſpecierum,nec ex ipſarũ parvitate,aut paucitate minuitur. Taliter continetur; ut diviſis ſpeciebus ſub quavis diviſionis particula totus Chriſtus Dominus integer perſeveret. Taliter continetur,ut Accidentia etiam ſine ſubjecto eodem exiſtant, & abſq; panis & vini ſubſtantia eundem effectum habeant ac priùs ſatiando & inebriando. Taliter continetur,ut fides locum habeat,dum viſibile inviſibiliter ſumitur ſub aliena ſpecie occultatum,& ſenſus à deceptione redduntur immunes, qui de Accidentibus judicant ſibi notis.* Hoccíne eſt, quod Paulus flagitat,*cum ſimplicitate & ſinceritate Dei,non cum ſapientia carnali verſari in Mundo?* 2. Cor. 1. 12. Hoccíne eſt *in captivitatem redigere omnem cogitationem ad obediendum Chriſto?* 2. Cor. 10. v. 5. Hoccine eſt ratiocinio huma-

mano, principiis Naturæ, in myſteriis gratiæ mittere repudium? Num Chriſtus, num Apoſtoli, num Patres iſtis cothurnis inceſſerunt? Falſiſſimis Pſeudophiloſophiæ paradoxis Theologica myſteria illi incruſtant; nobis verum, ad normam Dei verbi examinatum rationis uſum extorquere conantur. Oracula eſſe volunt, ubi, contra & præter rationem, novæ Scholæ Pontificiæ clamant: *Quoddam corpus non tantùm poſſe; ſed etiam revera ſimul & actu eſſe in plurimis locis: quoddam objectum ſuâ naturâ viſibile, palpabile, &c. cum alio corpore, vel illius ſpeciebus præſens exhibitum, nullo ſenſu apprehendi poſſe: quoddam accidens, non tantùm poſſe; ſed etiam revera exiſtere abſque Subjecto inhærentia.* Sed ubi cum, & ex ipſa ratione nos aſſerimus, *omne corpus certo terminari ſpatio; omne corpus viſibile eſſe, &c.* Sacrilegi ſumus, qui abſtruſiſſima ſalutis myſteria rationis noſtræ modulo metiamur. Plumbeos, quos ex corruptæ rationis armamentario depromtos mucrones ſtringunt, Herculis clavam eſſe volunt; amentatas ſobriæ rationis haſtas, ubi pro nobis cæſim & punctim feriunt, longam arundinem. Claſſicum Scholaſtici canunt, ut vel invita Natura laboranti Eccleſiæ Romanæ ſuppetias ferat: Sed ſi nobis vel ultrò dederit nomen, mox tanquam inepta, exauctoratur. Ita nempe adverſariis non Antiquitatis modò, ſed etiam Rationis argumen-

menta ſunt calculi ſupputatorii: Valent, ſi favent; ſi contradicunt, vix teruncii loco habentur. Hanc verò qui tyrannidem in Eccleſiam Chriſtianam volunt invectam, & vel rationem in naſum cereum, ſuæ tantùm libidini ſervire eam coacturi, flectunt, vel legitimum ejus uſum è pomœriis Theologicis planè proſcribunt, quid quæſo, aliud illi moliuntur, niſi ut (quod Philiſtæi olim Simſoni) Studioſis veritatis eruant oculos, vel unico ſaltem privent rationis lumine, quam obſeſſis propoſuit fœderis conditionem tyrannus ille Ammonita, quò contumelioſiùs omnes exponant omnium ſannis & ludibriis? Nam & hoc revelatæ veritatis indubiæ atque immotæ principium eſt, Deum Naturæ non Authorem modò eſſe ſapientiſſimum, ſed & conſervatorem conſtantiſſimum. Non minùs Naturæ ſui limites ſunt, ſui termini certi, & fixi; quàm Gratiæ; qui, niſi aliter ſummo rerum Moderatori placuerit, exceptionem nullam admittunt. At quicquam contra ordinarium naturæ curſum, in mutatione ſymbolorum Sacramentalium, agere illi placere, ex iis, quæ dicta ſunt, nondum obſervavimus. Nolumus committere μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, & decempeda noſtræ rationis ea metiri, quæ infinitis modis ſupra nos ſunt. Nec confundemus myſteria *Gratiæ*, cum beneficiis *Naturæ*; illius exceptiones, cum hujus regulis. Hoc interim urgemus, quæ-

quæcunque Naturæ Author in Scriptura, de Natura, naturaliter proponit; illa ex Natura, tanquam principio, eſſe æſtimanda. Id ipſum enim in ſacris Literis identidem inculcari, animadvertimus. Servator profectò noſter, de veritate corporis ſui acturus, ad corporis proprietates, ipſámque adeò ſanam nos rejicit rationem. Nemo hoc naturæ negabit axioma univerſale eſſe: *Omne corpus humanum ſuam habet extenſionem; partes extra partes.* Excipis corpus Chriſti? At Chriſtus excipi non vult. Neque enim Chriſtus præſtigiator eſt, qui Marcionitarum patrocinetur errori, quaſi corpus ipſius aliud eſſet, aliud appareret: Ipſe & veritatem corporis ſui, & reſurrectionis evidentiam, & localem in cœlum translationem phyſico argumento probavit: Cur ergò nos exceptionem fingamus? Cùm dubitarent diſcipuli *Luc.* 24. verſ. 37. 38. 39. 40. de veritate corporis Chriſti, poſt reſurrectionem, *adeò ut territi & expavefacti putârint, ſe Spiritum conſpicere; dixit eis Servator: Quid turbati eſtis, & quare diſceptationes ſubeunt corda veſtra? Videte manus meas, & pedes meos, nam ego ipſe ſum; contrectate me & videte, nam Spiritus carnem & oſſa non habet, prout me conſpicitis habere. Et quum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes.* Ex Scriptura didicimus, Chriſtum Abrahæ ſemen aſſumſiſſe, *Heb.* 2. v. 16. natum eſſe ex muliere,

Gal.

Gal.4.4. genitum ex ſemine Davidis, *Rom*. 1.3. ſimilem nobis factum per omnia, excepto peccato, *Heb*.2.17 cap.4.15.*Phil*.2.7.8. Cur ergò, ex tam claris & perſpicuis Scripturæ præmiſſis, concludere jam non liceat, corpus Chriſti omnes corporis naturalis habere proprietates, adeóque & Quantitatem extenſivam?

II. Fruſtra proinde Vir doctiſſimus hæc nobis, ex ipſa ſacra Scriptura ſubminiſtrata, arma Phyſica, in Themate Phyſico, eripere, conatur, quando ait: *Adferre, abſurda ex Phyſica, ſicuti, Corpus idem non poſſe eſſe in pluribus locis eodem tempore; Accidentia non poſſe ſubſiſtere ſine Subjecto, atque alia hujuscemodi, quis dicat hæc ſatis firma ac valida eſſe, ad deſtruendam verborum Chriſti,* Hoc eſt corpus meum, *divinam veritatem*. Cur, amabò, toties cum umbra ſua & figmentis luctari libeat Adverſariis? Quis Reformatorũ unquam per ſomnium cogitavit, divinam verborum Chriſti veritatem vel vocare in dubium, nedum argumentis Phyſicis deſtruere? Si ita Vir doctiſſimus ſuum formaverit argumentum: Quicquid Chriſtus dicit, illud verum eſt: divinam venerabundi adoramus veritatem. Sin autem ita proceſſerit: Quicquid Chriſtus dixit, illud ſecundùm literam debet intelligi; utrùm & hæc jam Propoſitio eandem habeat univerſalitatem, ipſe Vir doctiſſimus judicet. Non ergo de *veritate* Propoſitionis; ſed

modo

modo ejus, *proprius* ſit, an *improprius*, *mediatus* an *immediatus*, quæſtio eſt? Et quia Prædicatum propoſitionis, *Corpus*, ex Phyſica depromtum, Phyſicè à Spiritu ſancto in Scriptura & ponitur, & exponitur, nulláque prorſus exceptionis vel vola vel veſtigium in univerſo Codice ſacro apparet, ánnon, quiſque, cui non pro cerebro fungus eſt, ad demonſtrandam Propoſitionis Dominicæ improprietatem, Phyſicam, quæ corporis Naturalis nativa eſt ſedes, in ſubſidium poſſe vocari, ubi exactiùs ſecum rationem ſubduxerit, facilè concludet?

III. Rem preſſiùs urgeamus. Tritum Naturæ Principium eſſe, omne corpus Phyſicum eſſe quantum, *Quantitate propria*, quæ & molis & extenſionis dici debet, quæq; congenita eſt materiæ, & naturæ corporeæ, ſuprà jam diximus. Quod verò hoc modo quantum eſt, illud ſimul & ſemel actu in pluribus locis eſſe non poteſt. Si pluribus in locis actu eſſe non poteſt; fruſtra Chriſti corpus naturale quotidie oſtenditur in iis per orbem angulis, ubi conſecratio, ex ordine LeiturgiæRomanæ, peragitur. Non negarent adverſarii axiomatis univerſalitatem, modò hanc unam de corpore Chriſti iis largiremur exceptionem. Sed quis arbitros nos conſtituit, aut judices, ut, quod Deus & Natura fixum, ratum, immotum eſſe volunt, noſtro illud arbitrio aut libidine mutaremus? Sacra Scriptura corpori

pori Chriſti tribuit Quantum, illud certo loco alligat,& nos illi πολυτοπίαν affingamus? Fruſtra Deum colimus, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum; *Matth.* 15.verſ.9. Πολυτοπίας certè privilegium corpori Chriſti neque in ſtatu *Exinanitionis* convenit, neque *Exaltationis*. Non in *illo*, quia ſic unum occupavit locum, ut ab altero abeſſet, *Ioh.* 6.24.,cap. 11. verſ. 15. *Marc.* 6. verſ. 56. Neque in hoc: Si enim in Exaltationis ſtatu ei conceſſa fuiſſet πολυτοπία, aut communicata fuiſſet ambulanti in terra, aut evecto in cœlum. Non prius: Proprietates enim naturæ humanæ, adeóque certi & determinati ſpatii occupationem ſibi ipſi tribuit, *Matth.* 28.5.6. *Luc.* 24 39.40. *Act.* 1.verſ.3. Neque poſterius, tum quia prædixit, ſe ex hoc Mundo migraturum, atque ita non ampliùs in terris fore præſentem corporaliter, *Matth.* 26. verſ. 11. *Ioh.* 16.28.c.17.verſ.11. tum quia revera ex hoc mundo migrans eum reliquit, *Luc.* 24.51. tum quia nunc localiter in cœlo degit, *Act.* 3. 21. *Heb.* 8.verſ.4. tum denique, quia noviſſimo die è Cœlo demum eſt rediturus: *Matth.* 24. 30. 1. *Theſſ.* 4.16.17. Ita Scriptura de corpore Chriſti, eóque adæquato occupationis & collocationis ſpatio loquitur ubique: Nullius uſpiam exceptionis meminit.

IV. Neque aliter univerſa ſenſit *Antiquitas*, quæ conſtanter docuit, Corpus Chriſti non

eſſe in terris, quia ſit in cœlis. *Vigil.*lib.4.cont. Eutych. *Si verbi & carnis una Natura eſt, quomodo, cùm verbum ubique ſit, non ubique inveniatur & caro? Nam quando in terra fuit* (caro Chriſti) *non erat utique in cœlis; & nunc, quia in cœlo eſt, non eſt utique in terra.* Et *Auguſtinus* apud Gratian. de conſecrat. D. II. cap.44. *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus; ſed tamen hîc etiam nobiſcum eſt veritas Domini. Corpus enim, in quo reſurrexit, in uno loco eſſe oportet: Veritas autem ejus ubique diffuſa eſt.* Excerpta hæc ſunt ex Tractat. XXX. in Johannem. Et quanquam varietas hîc aliqua occurrat lectionis; certum tamen eſt, non modò Scholaſticos & Canoniſtas, *Ivonem Carnotenſem, Petrum Lombardum, Algerum, Alexandrum de Ales, Thomam, Durandum, Gabrielem*, ita citâſſe; ſed & hoc *ϛυμπέρασμα* collegiſſe: *Chriſti corpus in uno loco eſſe oportet.* Nempe univerſalis auguſti Patris erat concluſio: *Nullum corpus poſſe eſſe ubique totum: Quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat neceſſe eſt, & quantumcunque ſit corpus, ſeu quantulumcunq; corpuſculum, loci occupet ſpatium, eum denique locum ſic impleat, ut in nulla ejus parte ſit totum*, Ep.3. Fulgent. lib.2. ad Thraſymund. *Dominus ut localem oſtenderet humanitatem ſuam, dixit diſcipulis ſuis:* Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum. *Immenſi-*

ta-

tatem verò ſuæ divinitatis oſtendens diſcipulis, dicit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. Ambroſius Serm. 56. de Tempore: *Ergo jam non ſuper terram, nec in terra, nec ſecundū carnem debemus quærere Salvatorem, ſi volumus eum invenire atque contingere, ſed ſecundùm Divinæ majeſtatis gloriam.* Cyrill. Alexandrin. lib. 11. in Joh. cap. 3. *In cœlum aſcendens Spiritum immiſit: Non enim converſari cum Apoſtolis carne poterat, cùm ad Patrem aſcenderit. Etſi abeſt corpore, Patri pro nobis apparens, ac à dextris ejus ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum.* Ita Scriptura, ita Patres contra exceptionem corporis Chriſti, quam defendunt Pontificii, loquuntur, & nobis contradicendi pruritus magis placeat?

V. Sed unum adhuc, & alterum examinemus axioma Phyſicum. A. Natura univerſaliter dicit: *Omne corpus eſſe viſibile.* Eſt & hoc principium ab ultima retrò antiquitate extra controverſiæ aleam poſitum. Neque Ariſtotelis (quem tamen. Schola Pontificia maximi ſemper fecit) tantùm axioma eſt: Ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλοις χρῶμα καὶ μέγεθος: *Conſequuntur ſe invicem color & magnitudo,* lib. 3. de anim. cap. 1. Et lib. 2. cap. 7. Τὸ χρῶμα ἀναγκαῖον ἐν φωτὶ ὁρᾶσθαι, *neceſſe eſt, colorem in lumine videri.* Etiam Eccleſiæ vox eſt, corpus

arcanum,inviſibile,Phyſicum nullum dari. *Corpus hominis non aliud intelligam,quàm omnem iſtam ſtruem carnis &c.quod videtur,quod tenetur,quod denique ab hominibus occiditur. Sic & parietis corpus non aliud admittam,quàm cæmenta,quàm ſaxa,quàm lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, oſtendat, revelet,* Tertull. lib. de Reſurrect. cap. 35. Et *Gregor: Nazianzenus:* Τί γάρ ποτε ὑπολήψῃ τὸ θεῖον; πότερον σῶμα; καὶ πῶς τὸ ἄπειρον, καὶ ἀόριστον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀόρατον; ἢ καὶ ταῦτα σώματα; *Quid enim tandem Deum eſſe cenſebis? Vtrum corpus? At quomodo immenſus,infinitus,ſine figura,incontrectabilis,& inviſibilis erit? An verò hæc quoque in numero corporum ſunt habenda?* Imò protervam vocat licentiam, quandoquidem à corporum natura abhorreat,ut ſint *infinita, immenſa, inviſibilia*, Orat. 2. Theolog. Conſentiunt adverſarii de reliquis corporibus: Chriſti corpus transſubſtantiatum iterum excipiunt. Scio excipere; ſed non probare. Oſtendant,vel,ut cum *Tertulliano* liberè loquar, *revelent arcanum ſuum corpus*. Non excipit certè *Chriſtus* ipſe,ut ſuprà audivimus. Non excipiunt *Patres*. *Niſi corporaliter abiret Dominus à nobis,ſemper ejus corpus carnaliter videremus*; verba ſunt Auguſt. Serm. 60. de verb. Domini. *Carnem Chriſti his conditionibus ſubjacere* (ut increata,& inviſibilis ſit,ſicut

cut verbum) *impoſſibile eſt*, ait *Vigil.* lib. 4. contra Eutych. Et *Ephram.* Syrus apud Phot. Cod. 229. Οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν δύναται νοῦν ἔχων, ὡς ἡ αὐτὴ φύσις ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου, καὶ ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου. *Nemo, qui ſanæ mentis ſit, dicere poteſt, quòd eadem natura ſit ejus, quod palpari poteſt, & quod palpari non poteſt; ejus, quod videri poteſt, & quod videri non poteſt.* Quid diſertius & evidentius, contra Corpus Chriſti inviſibile?

B. Naturæ axioma eſt: *Omne corpus ſolidum eſt* ψηλαφητόν. Omnis ævi aſſenſum habet & hæc regula. Excipit Schola Pontificia corpus Chriſti. Sed Chriſtus non excipit: *Contrectate me*, inquit Luc. 24. v. 39. Eccleſia non excipit, ut *Vigilii* modò, & *Ephrami* condocefecimus verbis. Cur ergò nos univerſali iterum regulæ vim faciamus?

C. Naturæ axioma eſt: *Nullum ſignum propriè ipſam eſſe rem, cujus ſignum eſt, nec ſignatum de ſigno propriè poſſe prædicari.* Hæc, ex natura relatorum oppoſitio ad κοινὰς ἐννοίας, *communes*, homini naturâ inſitas, pertinet *notiones.* Sacramenta excipies. At Deus non excipit, qui vel *apertè* & *explicitè* ſignum à re ſignata diſtinguit, *Gen.* 17. v. 11. vel *tectè* & *implicitè*, diſparatum de diſparato affirmativè prædicando. Patres non excipiunt, quibus Sacramen-

ta *aliud ſunt*, aliud *ſignificant*, vel intelliguntur.

D. Catholicum cumprimis, & univerſaliſſimũ Naturæ principium eſt, *Accidentis eſſe, eſt ineſſe*. Ut Ens, ſi per ſe non ſubſiſtat, Subſtantia vocari nequit; ita nec, niſi actu inſit, Accidens vel eſt, vel vocari poteſt. Auſint negare Adverſarii? Reclamabit Scriptura, repugnabit Natura, refragabitur omnium Gentium conſenſus. Sed diſtinctionem confinxerunt, quæ ſe ipſam planè deſtruit & evertit. Inter Accidens diſtinguunt modificatum & abſolutum. *Illud*, ex mente Scholaſticorum, ne virtute quidem divina conſervari ſine ſubjecto poteſt: Cùm ejus Eſſentia & Natura in hoc ſita ſit, ut Subjectum actu afficiat. *Abſolutum*, habere eſſe perfectum in ſua ſpecie. Hoc autem à Deo conſervari poſſe ſine ſubjecto. Sed λῆροι ſunt καὶ λόγοι. Accidentis enim proprium eſt, non, *poſſe inhærere*; ſed, *actu inhærere*. Ut enim *perſeitas*; ut loquuntur; omni convenit Subſtantiæ, ita *Ineitas* ab Accidente ſeparari non poteſt. Sed quid verbis, aut argumentis in materia Phyſica opus eſt, ubi evidentiſſima ſenſuum teſtimonia adſunt? Quid in idea tantùm philoſophari, & de poſſibilibus diſputare hîc juvat? Expendatur id, quod poſt conſecrationem in Euchariſtia ſupereſt, & vel communis dictabit ſenſus, proprietates, virtutes, adeóque ſubſtantiam rema-

manere. Realitas hujus Accidentis (liceat adverſariorum loqui verbis) adeò eſt manifeſta, ut, vel ſubtiliſſimo Philoſopho *Carteſio* teſte, abſq; Subſtantia concipi non poſſit. *Cùm fortè primi, qui hanc quæſtionem Philoſophico more explicare conati ſunt, tam firmiter ſibi perſuaderent. Accidentia illa, quæ ſenſus movent, eſſe quid reale à ſubſtantia diverſum, ut ne adverterent quidem, ea de re poſſe unquam dubitari*: Sine ullo examine, ac ſine juſta ratione ſuppoſuerant, ſpecies panis eſſe Accidentia ejusmodi realia, *totíque denique in eo fuerunt, ut explicarent, quomodo ipſa ſine ſubjecto eſſe poſſint. Qua in re tot difficultates* invenerunt, ut vel ex uno hoc (quemadmodum viatores, cùm fortè ad ſalebras, & loca nullo modo pervia, devenerunt) ſe à vero itinere deflexiſſe judicare debuiſſent. Deinde, non poteſt humana mens cogitare, Accidentia panis eſſe realia, & tamen abſque ejus ſubſtantia exiſtere, quin ſimul illa per modum ſubſtantiæ concipiat. Adeò ut implicare videatur, ut tota panis ſubſtantia mutetur, quemadmodum credit Eccleſia: *Et interim, ut aliquid reale, quod prius erat in pane, remaneat, quia nihil reale poteſt intelligi remanere, niſi quod ſubſiſtat*: Et quamvis verbo vocetur Accidens, concipiatur tamen ut ſubſtantia. *Ideóque in re idem eſt, ac ſi diceretur, totam quidem panis ſubſtantiam mutari, ſed tamen illam ejus ſub-*

ſtantiæ partem, quæ vocatur Accidens reale, remanere: quòd ſi non verbis, certè in conceptu contradictionem involvit. Atque hæc præcipua ratio eſſe videtur, ob quam nonnulli hac in parte ab Eccleſia Romana diſſenſerunt. De prim. Philoſoph. pag. 290. Sunt hæc, Vir doctiſſime, verba hominis non illiterati, aut obſcuri Philoſophi, aut Theologi Reformati, ſed *Carteſii*, ingenii; quod negari non poteſt; acerrimi, in caſtris veſtris nati, educati & mortui. Votum etiam fecit, ſpémque concepit acutiſſimus Philoſophus, *venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia* (quæ revera aliud nihil ſunt, quàm ſubſtantiæ) *ut à ratione aliena, & incomprehenſibilis, & parùm tuta in fide, à Theologis explodatur*. Monet quidem Facultatis Theologicæ *Pariſienſis Doctor* non poſtremus, quòd, ſecundum Viri Clariſſimi dogmata, *ſalva & integra remanere non poſſe videantur; quæ de Sacro-ſancti Altaris myſteriis, docet Eccleſia*; difficultates interim, ob quas receptam Eccleſiæ ſuæ ſententiam Carteſius rejicit, quæque revera magni ſunt momenti, ne quidem tangit. Sed & tuo, Vir doctiſſime, relinquo judicio, num realia illa Accidentia revera aliud quid eſſe poſſint, quàm ſubſtantia? Niſi ſomniare velimus, Accidentia ſola producere ſubſtantiam, panem e.g. aut vinum vermes; ſola Accidentia famem pellere, & ſitim compeſcere:

Digitized by Google

re: Adeò ut, ſi vel dolium vini, vel hoſtiæ magno numero conſecrata fuerint, hæ in cibum converſæ, illud ad potum adhibitum; poſſint ſaturare, famem depellere, ſitim ſedare. Hæc verò virtus fuerit Accidentium? Ingens certè acquirendi compendium, ſi Accidentia ſola conſecratione vim nutriendi conſequerentur, quod magno multi redimerent; illis maximè uſui futurum, quorum conatibus obſtat res anguſta domi.

SECTIO XIII.

Transſubſtantiatio *eſt dogma novum, incertum, ac proinde pro fundamentali fidei articulo non obtrudendum.*

I. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus*, verba ſunt Pauli 1. *Cor.* 3. 11. Fundamentum Eccleſiæ, *Chriſtus*, vocatur non tantùm, quòd, *ceu lapis ab ædificantibus pro nihilo habitus, factus eſt caput anguli*; & *quòd in nullo alio ſalus, nec aliud nomen ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari*, Act. 4. verſ. 12. Sed quòd *per eum gratia & veritas extitit*, quòd unus ille, in ſinu Patris, vo-

luntatem ejus,adeóque,quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria,nobis expoſuit, *Ioh*. c. 1.17.coll.c.20. 31. *Omnis enim planta,quam non plantavit Pater cœleſtis,eradicabitur*,Matth. 15,verſ. 13. Evangelium,etſi ab Angelo nunciatum, diverſum ab eo,quod ab Apoſtolis nunciatum eſt,anathemate feritur *Galat*. 1.verſ. 8.Quicquid igitur præter, extra,& contra hoc fundamentum, hominum introductum eſt libidine, tyrannide φιλοπρωτευόντων intruſum,inter ἐθελοθρησκείας, & humanas referri debet traditiones. Novum illud eſt,eóque ipſo non Catholicum. Illud enim *Catholicum eſſe propriè,quod ubique,quod ſemper,quod omnibus creditum*; ex Vincentii Lirinenſis,cujus magna apud eos eſt authoritas, diſcere potuiſſent, Commonit. cap. 3. Hoc verò Charactere Transſubſtantiationem deſtitui, ipſa nos Schola Pontificia docet. Certè ſubtilis eorum Doctor, *Iohannes Duns*, Scotus, palàm profitetur, nonniſi poſt periculoſum Lateranenſe Decretum,ſub Innocentio III. conditum,anno demum 1215. obſtetricante ubique barbarie,editum,ſubſtantialem iſtam converſionem; ſive Transſubſtantiationem inter neceſſarios fidei articulos fuiſſe relatam.Nullã ſ. Scripturæ ſententiam reperiri,nullam,ante Lateranenſe illud Concilium, determinationem Eccleſiaſticam,quæ vel expreſſè doceat, vel ex qua evidenter inferri poſſit,non manere in Eucha-

chariſtia,poſt conſecratiōnē,panis ſubſtantiam: in 4. *Sentent*.diſt. 11.quæſt. 3. num.3.5.13.14. 15. Novum ergò eſt,χθὲς ἢ πρώχθες natum Transſubſtantiationis dogma,nec proinde Catholicum.

II. Neque verò nova tantùm,adeóque non Catholica; ſed & ita *obſcura*,*perplexa*, *intricata*,Scholaſticorum diſputationibus impedita eſt Pyrrhonica de Transſubſtantiatione ἐποχὴ, ut ubique ferè quod negent,aut neſciant;rarò quod affirment,aut ſciant,reperias. Certum eſt, Decretum Lateranenſe,ex quo ſemel elapſum ἕρκος ὀδόντων, Eccleſiæ Romanæ Doctores ita occupâſſe, ut quid vel ſentirent ipſi, vel commendarent aliis,vix occurrat.

III. Ituri in rem præſentem, ab ipſa voce faciamus initium. Quàm tritum apud ipſos ubique eſt, omniúmque ore jactitatum *Miſſæ* vocabulum, quod loco *Cœnæ Dominicæ*,Eccleſia Latina ſeriùs admiſit, Romana,tanquam antiquiſſimum, obtruſit? Et Gallus,& Germanus,& Italus,& cæteræ etiam occidentales Eccleſiæ, imò abjectiſſimi in iis cerdones nomen illud venerantur,& adorant. Rogati tamen doctiſſimi quique eorum,quid ſit? quid propriè denotet? unde originem habeat? ceſpitant,ut plurimùm, & ſuaviludiis ſuis plus indulgent, quàm tantæ rei ferat momentum. Hebraicam vocem libenter vellent,ne novitate ſorderet.Audent

dent hoc aſſerere (poſt *Reuchlinum*,qui hunc, vir cæteroquin verè aureus, & in his literis magnus,ſeculi adhuc conſuetudini inſerviens, primus vendidit fumum) *Baronius, Cottonus, Meurifſius*, quod tamen in Philoſopho magis erat excuſandum, quàm Profeſſore Linguæ ſanctæ Regio, *Genebrardo*. Sed puduit alios adeò ineptæ, ipſique, quod *Matthæus Galenus* diſſimulare non poterat,Eccleſiæ Romanæ probroſæ Etymologiæ: quam proinde ſolidis everterunt rationibus, Picherellus, in *Explic. verb. Dom.*pag.67.87. Vaſquezius In 3.t.2.*diſ*.221. c.1.Matthæus Galenus,*in Catech. à Croquet.citat.*Catech. 91.Alii ex*Græcia* eademfelicitate, vel veriùs eodem ludibrio Miſſam accerſunt. Ignotum enim Eccleſiæ Græcæ hoc fuit vocabulum; &,quod paulatim irrepſit,ei utcumque ſimile, *μίσα*, non Euchariſtiam,ſive Cœnam Domini; ſed preces matutinas & veſpertinas ſignificat, ut ex *Rigaltio*,& Lexico Mixobarb. *Meurſii* patet. *Latinam* tandem vocem eſſe, plerique DoctoresPontificii concedunt quidem; ſed tot ambagibus quid efficiunt, quæſo, tandem,quàm quòd Reformatorum nomenclaturam,tanquam certiorem & antiquiorem (appellare autem illi ſolent Cœnam Domini) magis probant? Nam,qui authoritate & exemplo Scripturæ ſacræ, ſanctiſſimum illud myſterium *Domini Cœnam* appellant, tot mæandris & labyrin-

rinthis Etymologicis non implicantur. *Euchariſtia* nomen, vetuſtiſſimis Patribus uſitatum, Eccleſia Romana non quidem ignorat, malè tamen explicat: neque feliciùs *Grammaticè*, quàm *Theologicè*. *Bonam gratiam* vertunt *Lombardus*, *Thomas*, *Angelus de Clavaſio*, alii, *Iſidorum* ſecuti: cùm tamen, ex conſuetudine veteris Synagogæ, *conſecrationem*, *gratiarum actionem*, *laudationem Dei* denotet. Ut enim εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν Synonyma ſunt, &, pro varietate circumſtantiarum, ſignificant *laudare*, *gratias agere*, *conſecrare*; ita εὐλογία & εὐχαριστία pro cœna Domini apud veteres ſumitur, *vel*, quia Symbolum eſt gratiarum actionis adverſus Deum, ut Orig. cont. Celſ. Tom. 8. loquitur, *vel*, quia Symbola εὐχαριςθέντα, *precibus Deo conſecrata*, accipiunt χάριτος πρόσθεσιν, *gratiæ additionem*. Ex ignorantia autem veræ vocis Etymologiæ craſſa, craſſior natus eſt error in definitione rei. Ideo enim Cœnam D. Euchariſtiam vocari ait *Angelus de Clavaſio*, quòd *contineat realiter Chriſtum, qui eſt plenus gratia*.

IV. Quòd ſi, miſſâ Miſſæ ὀνοματολογίᾳ, ad *rem* ipſam deſcendere placeat, quanta tricarum & ambiguitatum ſeges? De *Sacramento Euchariſtiæ in ſe conſiderato* quærunt Scholaſtici; *An conſecratio ſit Euchariſtiæ Sacramentum?* Et *Gabriel* quidem in IV. ſentent. diſt. 8. q. 11. art. 3.

3. dub. 2. aſſerit, conſecrationem per ſe ſumtam habere rationem Sacramenti. *Cajetanus* Euchariſtiæ Sacramentum nihil aliud eſſe vult, quàm actionem Sacramentalem, conſiſtentem in conſecratione materiæ. *Alexander Peſantius*, Romanus, viam potiùs ad Sacramentum, quàm Sacramentum ipſum eſſe, decidit; in *Addit. ad Tho.* Q. 13. art. 1. diſp. 1. Quærunt: *An corpus & ſanguis Chriſti, qui eſt terminus conſecrationis, ſit Sacramentum Euchariſtiæ? VValdenſis* Tom. 2. de Sacram. cap. 21. Corpus & ſanguinem Chriſti facit verè & propriè Sacramentum. *Marſil.* in IV. Sent. q. 1. artic. 1. & q. 6. art. 2. Sot. d. 1. art. 4. quos & ex recentioribus quidam ſequuntur, non modò negant, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe Sacramentum Euchariſtiæ; ſed neque eſſe de ejus conſtitutione, tanquam partem Eſſentialem; ſed tantùm connotatum quoddam & annexum, volunt. *Peſantius*, mediâ inceſſurus viâ, corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe Sacramentum Euchariſtiæ; eſſe tamen de compoſitione & eſſentia illius Sacramenti, aſſerit. Quærunt: *Vtrum uſus & manducatio ſive ſumtio Euchariſtiæ ſit Sacramentum? Gabriel*, diſt. 1. artic. 3. dub. 2. ſumtionem, docet, eſſe partiale Sacramentum Euchariſtiæ. Ita *Aureol.* apud Capreo. 6. d. 8. q. 1. ar. 2. arg. 3. At contrarium ſtatuit *Tridentina Synodus*, quæ quidem concedit, reliqua Sacramen-

ta conſiſtere in uſu; negat tamen de Euchariſtia, quæ & receptior, priori licèt è diametro oppoſita, imò communis eſt ſententia. Qua tamen revera nihil eſt abſurdius. Inſtantiam enim dare, in ſola re controverſa, conceſſis reliquis omnibus inductionis partibus, eſt veluti negatio concluſionis, poſt conceſſas præmiſſas; Niſi evidens oſtendatur ratio exceptionis. Quærunt: *Vtrum ſpecies Sacramentales ſint Sacramentum Euchariſtiæ:* Aureol. apud *Capreol.* d.8. confidenter ſatis negat, ſpecies eſſe Sacramenti materiam, adeóque conſequenter Eſſentialiter pertinere ad rationem hujus Sacramenti: negat, ſpecies eſſe de conſtitutione illius Sacramenti. Reliqui verò Scholaſtici ſpecies panis & vini non eſſe quidem totum Euchariſtiæ Sacramentum communiter tradunt, eſſe tamen de ejus intrinſeca & Eſſentiali conſtitutione. Et quia tota de ordine Sacerdotũ, modo item adminiſtrandæ Euchariſtiæ doctrina, aliis atque aliis paulatim fuit intricata novis hypotheſibus, ut varam vibia, ſic ſuperſtitio fuit ſecuta Scripturæ neglectum. Unde fertiliſſima caſuum, circa cauſam adminiſtram hujus Sacramenti meſſis: *An ſolus Presbyter poſſit conſecrare corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti? Quid ſi quis credat, ſe Presbyterum eſſe, cùm non ſit, & celebret?* Hanc conſecrationem alii ratam habent, alii non item. Certè non habent quod dubitent,

ſi,

ſi,quæ referunt *Durandus* & *Innocentius*,vera ſint,quoſdam Paſtores,cùm Canonem alta voce in agro cantâſſent,& panem ſuper lapidem poſuiſſent, ad verborum prolationem, panem in carnem convertiſſe; *Ration. Durand.lib.4. pag.73. Vtrùm,quilibet Sacerdos hoc poſſit Sacramentum conficere,etiam irregularis,interdictus,ſuſpenſus, Simoniacus,Schiſmaticus,excommunicatus, depoſitus, vel quilibet publicus & notorius peccator?* quod de jure non admittunt, factum verò irritum habendum negant. *Vtrùm plures Presbyteri* poſſint *eandem hoſtiam conſecrare? Quid expediat Presbytero, qui,poſtquam indutus,& ad ſacra obeunda paratus eſt,in* memoriam *revocet peccatum aliquod mortale? Quid ſi celebrando recoleret, ſe comediſſe vel bibiſſe? Quid de eo,cui,inceptâ Miſſâ,occurrit,quòd non ſit Presbyter? Quid faciendum Sacerdoti,ubi* non eſſe in calice aquam obſervârit? *Vtrum Sacerdoti omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere liceat? Vtrùm ab excommunicatis,vel hæreticis ſeu peccatoribus communionem recipere,& eorum Miſſam licitum ſit audire? Vtrùm Sacerdos conſecrans ipſe quoque teneatur ſumere ſacramentum &c.* Hæc,& ſi quæ ſunt alia; à Theologis Scholaſticis, & Caſuiſtis de cauſa hujus Sacramenti adminiſtra propoſita;noſtram de incertitudine totius materiæ acuere poſſent querelam;

relam; ſed nolumus rigidiùs agere,& minutiſſima quæque perſequi: De *materia* Euchariſtiæ plures paulatim pullulârunt quæſtiones, quàm quæ cum ſimplicitate inſtitutionis Dominicæ poſſint conſiſtere. De pane & vino,genimine vitis,loquitur Chriſtus: Utrumque quid ſit,notius eſt, quàm quod tot impertinentibus quæſtionibus vexari debeat, cujusmodi ſunt, *de Pane:* Utrùm *panis ex qualibet frumenti ſpecie ſit materia Euchariſtiæ,an verò ſolùm ex tritico?* Et ſunt quidem, qui ſtatuunt, quemlibet panem uſualem eſſe illius materiam; ita *Bonav.* in IV.d. 12. ar. 1.q.4.Alber.Ar.6.Cajetanus,&c. Alii ſolum triticeum panem Sacramenti hujus materiam admittunt. Ita plerique tam Scholaſtici,quàm Canoniſtæ, *Thom. Scot. Alens. Durand. Richard. Marſil. Paludan. Angel. de Clavas.* ſentiunt. Sic in ſpecie tipha,ſegala removetur ab *Alexand. Roſell. Palat.* Non removetur ab *Alb. Thom. Palud.* Speltam probant *Alber. Gabri. Durand. Palud. Cajetan.* Rejiciunt *Thom. Richar. Marſil.* Sed quærunt, utrùm *in paſta,facta ex tritico poſſint confici?* Utrùm *in pane corrupto?* Utrum *in acido?* Utrum *in pane fermentato?* Utrum,*in pane facto de aqua roſea*,vel endiviæ? Utrum *ſi grana alterius generis admiſceantur cum tritico, poſſint confici?* De *vino* verò quærere ſolent, *utrum poſſit confici de alio vino, quàm de vino vitis?* quaſi aliud detur. *Utrùm poſſit confici in*

aceto? Vtrum in agreſto poſſit confici? Vtrum in muſto? Vtrùm in puſca, ſeu aqua vinata, ſive in aqua, quæ, poſtquam vinum eſt expreſſum, ſuperfunditur acervis uvarum, *aut in aqua rubea, in qua lotus eſt pannus, vino rubeo t nctus? Quid ſi aqua æqualiter miſceatur vino? Vtrum aqua debeat admiſceri in vino calicis? Quid ſi omittatur? Quæ aqua debeat apponi?* In quanta quantitate &c.

IV. Hæc tamen omnia, ex augmento adventitii elementi, aquæ, pleraque orta, levia ſunt, ſi cum iis conferantur, quæ in *Forma* hujus Sacramenti, *Mutatione* præſertim Symbolorum in ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, in Scholis Pontificiis, & olim, & nunc controvertuntur. Et circa *verba* quidem conſecrationis, tam *conjunctim*, quàm *ſigillatim* ſumpta, primùm; poſtea etiam circa verborum *uſum* & *effectum* acriter digladiari Scholaſticos, breviter indicabimus. De *verbis* quæritur: *Quæ verba ſint Eſſentialia conſecrationis panis & vini?* Panis conſecrationem pleriq; fieri volunt verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Particulā *enim* negant quidem eſſe Eſſentialem; nec aliter neceſſariam, quàm ad connexionem continuationis verborum, ſcienter tamen omittendam non eſſe: imò credit mortaliter peccaturum *Angelus*, qui in conſecratione tam panis, quàm vini *ſcienter omitteret.* In *vini* autem conſecratione Doctores Scholaſtici ægrè ſe

ex-

expediunt. *Alens. Bonavent. Durandus*, cum Magiſtro, docent, formam ſufficientem conſecrationis vini, eſſe ſola illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; vel, *Hic eſt ſanguis meus.* At *Richard:* & *Argent.* ſententia eſt, omnia verba, quæ habentur in forma Romana, conſecrationi calicis ita eſſe neceſſaria, ut vel uno demto, non conficeretur ſanguis Chriſti. *Scoti* opinione duo non ſunt certa, primū, *an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineant aliqua verba*, poſt illud, *ſanguinis mei*; deinde: *an illud: Hoc facite?* &c. Ideóque periculo carere non exiſtimat, de utroque, in hac materia, aſſetere, cùm ſufficiens authoritas non habeatur; q. 2. ſſ. de iſto. Ita etiam *Marſilius*, & pauci ex *Thomiſtis*. Ipſemet *Thomas* à ſuis aſſeclis diverſimodè intelligitur. *Capreolus* & *Palud.* putant, ipſum cum *Richardo* ſentire & *Argent.* omnia nempe verba, quæ ſunt in forma Romana, eſſe de eſſentia formæ conſecrationis calicis. *Sotus* verò d. 11. q. 1. ar. 3. negat, ejusmodi opinionem ſuſtineri poſſe. Unde *Cajetanus* &, *Peſantius*, Thomam ita explicant, quòd; cùm in *corpore* dicit, omnia verba, quibus Romana Eccleſia utitur, in calicis conſecratione, eſſe de ſubſtantia formæ (quia ſunt quædam determinationes Prædicati, hoc eſt, ſanguinis Chriſti) non ſic intelligere, quaſi eſſent de eſſentia, ita ut ſine illis non ſit *forma*; ſed quòd ſint de integri-

tate,adeò ut ſine illis non ſit *forma perfecta*. Sed pergunt quærere: *An prædicta formæ conſecrationis à Chriſto ſint inſtitutæ*, i. e. *an Chriſtus in Cœna, cùm panem conſecravit, uſus ſit hac ipſa eorundem verborum formâ, qua Pontificii utuntur, &c. ut pane azymo uſus eſt?* Et alii quidem ſentiunt, Chriſtum ſolo actu voluntatis effeciſſe Transſubſtantiationem, panis & vini in ſuum corpus & ſanguinem. Ita *Aliac*, in 4. q. 5. ar. 1. Alii volunt, Chriſtum effeciſſe Transſubſtantiationem verbis nobis ignotis; non tamen iiſdem, quibus Eccleſia Romana utitur. Ita *Catherinus*. Plerorumque tamen ſententia eſt, *Chriſtum conſecrâſſe iiſdem verbis, quibus hodie conſecrant Sacerdotes*; cujus mox ſententiæ explicandæ iterum varii ſunt modi, quorum conciliationem illis relinquimus. Nos pergimus quærendo: *Quomodo conſecrationis verba pronuncientur à Sacerdotibus?* Innocentius, Durandus, Scotus, Major, Ocham, Gabriel, Catherinus dicunt, Sacerdotem non uti verbis formarum *enunciativè*, & materialiter, veluti, ſi quis legeret verba: *Ego ſum vitis: Ego* ſum lux mundi; ſed *recitativè*. *Thom.* verò, *Cajet.* & comuniter *Thomiſtæ* ſtatuunt, verba formarũ proferri à Sacerdote *recitativè* & *ſignificativè* ſimul, ita ut Sacerdos illis verbis, & quod Chriſtus pridie ſuæ paſſionis fecit, & quod tunc ipſe facit, ſignificet, Sed &c; *An verba conſecrationis priùs ſint*

vera,

vera, quàm efficiant, quod ſignificant, quærunt? Et ne hîc quidem conveniunt. *Scotus* aſſerit, formas Sacramentales Euchariſtiæ converſivas panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, eſſe priores naturâ, & fortè etiam tempore, ſua veritate. In illo autem priori, etſi non ſint veræ, non tamen eſſe eas falſas, ſed neutras, id eſt, neque veras, neque falſas, d.8, q.2. At *Thomas*, & cum eo plerique *Scholaſtici* docent, Propoſitiones, quæ ſunt Formæ conſecrationis, priùs naturâ eſſe *ſignificativas*, & veras, quàm effectivas. At *difficultas eſt in hac ſententia*, inquit Peſantius, *quomodo in illo priori, in quo nondum intelligitur corpus & ſanguis Chriſti per converſionem ex pane & vino factum, vera ſit Propoſitio, enuncians, contentum ſub ſpeciebus, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti?* Vult proinde, Propoſitiones *Practicas* & *effectivas*, ejus, quod ſignificant, ſimul & tempore eſſe cum ſuo effectu, & conceptione. In 3.P.Thom.Q.78.d.2.

V. Sed & ſingulæ propemodùm voces pomum contentionis in Scholis Pontificiis objiciunt. Incertitudine hîc nihil certius. Sit, exempli loco, pronomen demonſtrativum *Hoc*, in verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Tres de eo ſunt ſententiæ generales, ſuis iterum ſubdiſtinctæ explicandi modis diverſis, qui tamen ſe ipſos penè deſtruunt. Ipſos juvat ſpectare in ſua ſævientes viſcera adverſarios. Prima *ſententia*, inquit

Alexand. Peſantius, eſt, cùm dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, per illud Pronomen *Hoc*, demonſtrari *panem*: Et ſimiliter, cùm dicitur, *Hic eſt calix*, demonſtrari *vinum*, quæ ſententia diverſimodè explicatur. *Bonavent*. in 4. d. 8. 2. p. diſtinctionis ar. 1. q. 1. ut exponat, quomodo per pronomen *Hoc*, fiat panis demonſtratio, pervertit ſignificationem verbi : Vult enim, *Eſt* idem ſonare, quod *, fit*, ut ſit ſenſus : *Hoc, quod eſt panis, fit corpus meum* : Sed hoc, ut ait *Sot*. eſt nimiùm formam invertere aliter, quàm ea Chriſtus uſus eſt. Juxta *Marſil*. in 4. q. 6. ar. 1. explicationem, ſenſus formæ eſt : *Id, in quod hoc, i.e. panis convertitur, eſt corpus meum* ; Sed hoc eſt immutare formam à Chriſto traditam, ut *Sot*. excipit. *Secunda* ſententia eſt, cùm dicitur, *Hoc eſt corpus meũ*, indicari *corpus ipſum Chriſti*: Quod etiam variis modis explicatur. *Ocham* quodl. 2. q. ult. mavult, indicari corpus, ſub conceptis corporis, & verbum *eſt* ſupponere, pro, *erit*, ut ſenſus ſit: *Hoc corpus meum erit*. Sed nec hoc placet. *Scotus* putat, indicari ſingulariter corpus ; ſed ſub conceptu tranſcendenti Entis, ut ſenſus formæ ſit : *Hoc eſt corpus meum. Cajetanus*, ſimul cum *Scoto* exiſtimat, pronomine *Hoc* indicari ſingulariter *corpus Chriſti*, non tamen ſub conceptu tranſcendenti Entis, ſed ſub conceptu *particulariori ſubſtantiæ*, ut ſenſus ſit : *Hæc ſubſtantia eſt corpus meum:* Neque hi modi *Scoto*

&

& *Cajet.*ſatisfaciunt. *Tertia* ſententia eſt *Thomæ*, cùm dicit: *Hoc eſt corpus meum*; illo pronomine *Hoc* indicari *ſingulariter*; ſed *indeterminatè* & *vagè* contentum ſub Speciebus; *quod erat panis, ſit corpus Chriſti*. Ita etiam *Richar.* d. 8. art. 3. q. 1. *Durand.* & communiter *Scotiſtæ*. Ita *Peſant* in 3. Par. Thom. Quæſt. 78. diſput. 3. Hæcne eſt aperta illa ſimplicitas, quam Transſubſtantiationis patroni tantopere commendant? Hoccine eſt retinere literam, & religioſè Chriſti venerari verba? Imò verò, hoc eſt cœlum terræ, & ſuprema miſcere imis. Novam fingere hypotypoſin, quam vix Gentium Apoſtolus, qui & in tertio cœlo cœleſtem, & in terris humanam ad pedes Gamaliel didicit ſapientiam, ſi jam rediret, cum ſua componere poſſet tum verborum perſpicuitate, tum myſteriorum convenienti tractatione. Ergóne illi verbis Servatoris inhærent, qui ex *pane*, quem Chriſtus accepit, fregit, diſtribuit, *individuum* exſculpunt *vagum?* Ergóne illi, qui tam longis à ſe invicem recedunt ſpatiis, & quibus nec illud, quod multis aliis, iiſque doctiſſimis probatur, placet; conſenſum ſuum adeò thraſonicè crepent? *Sed quid ſi utraque ſententia contradictoria vera ſit?* Id ſibi perſuadent ſubtiles Scholaſtici. *Si enim laicus dixerit, contentum ſub ſpeciebus, eſſe corpus Chriſti, falſa eſt ejus propoſitio: quia contentum ſub ſpeciebus, quatenus dicit panem,*

præſcindendo à converſione,quam laicus facere non poteſt; non eſt corpus Chriſti: Si verò,qui dicit,contentum ſub ſpeciebus eſſe corpus Chriſti,ſit Sacerdos,habens intentionem conſecrandi, Propoſitio ejus vera eſt; quia contentum ſub ſpeciebus,quod includit panem per converſionem in inſtanti ejus Propoſitionis terminativo,eſt corpus Chriſti; Hæc Peſant.l.c. Itáne, qui veritas ipſa eſt, in Apollinem mutetur λοξίαν, flexiloquum Prometheum? Verba ejus in Cothurnum verſatilem,utriq; pedi aptum? Eadem verba prout vel laicus ea expreſſerit, vel clericus aut vera ſint,aut falſa;etſi nulla legitimæ oppoſitionis oſtendi poſſit exceptio? Poſſemus inteſtina hæc diſſidia ſpecioſiùs exaggerare. Sed nolumus eſſe ἐπιχαιρέκακοι. Dolemus potiùs triſte eorum fatum,quibus,ſub prætextu theſauri cœleſtium myſteriorum, tot Scholaſticorum venduntur fumi. Verè cum Servatore dicere nobis licebit: *Vos adoratis,quod neſcitis,nos adoramus quod ſcimus,* Joh.4.verſ.22. Deo certè ignoto oras extruunt, qui tot diſcrepantium ſententiarum ventis circumferuntur.

VI. Cæteris jam,de verbis conſecrationis, Scholaſticorum quæſtionibus (*utrum Presbyter,dicens ſolùm præfata verba ſuper pane,* conſecret? ubi etiam ſententiarum occurrunt divortia: *Vtrùm Sacerdos verborum prædictorum poſſit unam partem ipſius hoſtiæ conſecrare,*

re,ſine alia hoſtia continua remanente? Quid ſi Sacerdos acceptis pluribus hoſtiis conſecrandis,quando venit ad actum conſecrationis,non advertit,niſi ad eam,quam habet in manu? Caſuiſticis magis, quàm dogmaticis prætermiſſis, ad *virtutem* verborum *conſecrantium* accedamus. Et hîc quidem ænigmata iterum ubique obvia ſunt,& Sibyllina folia. Agnoſcit enim Concilium Tridentinum,*poſt panis & vini conſecrationem,Dominum noſtrum IeſumChriſtum verum Deum atque hominem verè,realiter,ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.* Id quod veteres Scholaſtici ita expreſſerunt: *Converſionem fieri in Sacramento,per virtutem verborum præfatorum, de qua firmiter tenendum, quòd ſubſtantia panis, ſecundùm totam ſuam materiam & formam exiſtens,actu transſubſtantiatur in totum corpus Chriſti actu exiſtens,ita quòd materia in materiam,& forma in formam,ſcilicet corpoream,transſubſtantiatur,ſolis accidentibus remanentibus.* Ita ex *Bonavent. Richardo,* &c. Angelus. Ex quo jam novo, planeque abſurdo dogmate, novæ iterum emergunt quæſtiones,quibus δὶς διὰ πασῶν à ſe differunt. Et *primò,* ne in ipſo quidem hujus dogmatis fundamento conveniunt. Quærit 1. *Peſantius,* an ex *ſacris literis certò haberi poſſit, quòd in Euchariſtia non maneat panis?* Non audet affirmare *Sco-*

tus, qui ſolius Eccleſiæ authoritati illud tribuit. Quin exiſtimat, *manente pane, Propoſitionem illam*, Hoc eſt corpus meum, *veram eſſe*. Cui & *Durandus* accedit. Cæteri, qui affirmant, fundamentum quærunt in ipſis verbis controverſis: quod, quàm ſit inconveniens, ſuprà indicavimus. Differunt 2. in eo, *utrum in Euchariſtia remaneat materia panis & vini, ſub forma corporis Chriſti?* *Durandus* ea manere defendit, in 4. d. 11. q. 3. num. 5. *Thomas, Bonaventura, Alenſis*, Scholaſtici communiter docent, non ſubſtantiam modò panis & vini, id eſt, totum completum; ſed neque materiam ipſorum in hoc Sacramento manere; imò totum panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti transſubſtantiari. Diſcrepant 3. in eo, *an ſubſtantia panis, quæ in hoc Sacramento non manet, annihiletur?* Hîc iterum tribus diverſis inceditur viis. Et *Scotus* quidem vi Transſubſtantiationis panem ſolum in illo loco, ſcil. ſub illis ſpeciebus, ſub quibus incepit eſſe corpus Chriſti, vult eſſe deſinere. Ita d. 11. q. 4. ſſ. *Poteſt ergò teneri* *Durandus* verò ſtatuit, terminum à quo, ſecundùm materiam ſub forma corporis Chriſti, non manere, adeóque neceſſariò panem & vinum annihilari dici debere. Tertia *Thomæ* opinio eſt, & Thomiſtarum, *Bonavent. Paludan. Capreol. Alens. Marſ. Ferrar. Cajet. Sot. Ledeſ.* qui omnes, deſitionem panis in hoc Sacra-

cramento non eſſe annihilationem tenent. Hæc verò adeò recentioribus placet ſententia, ut, *Peſantii* judicio, *neganda ſit in hoc Sacramento converſio, quam ponunt Concilia, ſi detur, panem deſinere per annihilationem*; in 3. P. Thom. q. 75. ar, 3. d. 1.

VII. Ipſe *Transſubſtantiationis* modus, quàm longè variantibus ſententiis, abſtruſis & obſcuris proponitur terminis, ambiguis traditur Scholaſticorum definitionibus? Et quanquam ita perplexa & intricata ſit tota hæc Transſubſtantiationis materia, ut Scholæ Pontificiæ conſenſus tantopere ubique jactatus, vel ex hoc tantũ conflictu graviſſimè vulneretur, brevitatis tamen, & modeſtiæ, quàm ubertatis materiæ, majorem habituri rationem, ea tantùm, quæ ipſi ſubminiſtrant Adverſarii, diſſenſionum capita tangemus. Illa primaria eſt: Quód nam *ſubſtantiale illud* ſit, quod in hac *Transſubſtantiatione, tanquam terminus ad quem, producatur?* *Scotus* videtur ναυκισσοξένειν, & in termino Transſubſtantiationis aſſignando fluctuare; portu tamen tandem reperto, *definit: Transſubſtantiationem terminari ad ſucceſſionem ſubſtantialem corporis Chriſti:* Unde Transſubſtantiationem ita terminare in corpus Chriſti, cenſet, ut illud, ſub ſpeciebus, ſucceſſione quadam ſubſtantiali ad ſubſtantiam panis, quæ ſuberat accidentibus, adducat; non tamen det illi

eſſe,

eſſe, quia illud in ſuo eſſe reperit. *Non video autem*, inquit Peſantius, *in quo poni poſſit hujusmodi ſucceſſionis ſubſtantialitas, niſi in hoc, quòd ſubſtantia adducitur, & ſuccedit ſubſtantiæ.* Eandem ſententiam, *Ocham*, *Major*, aliique Nominales; qui terminum hujus Transſubſtantiationis eſſe volunt corpus Chriſti, ut in loco & officio ſpecierum ſuccedit; defendunt. *Sed hic dicendi modus apertè falſus eſt*, inquit *Peſantius*. *Secunda* ſententia eorum eſt, qui Transſubſtantiationem in hoc Sacramento terminari ad modum aliquem ſubſtantialem docent. Si enim generatio hominis, inquiunt, omnium voce, ſit ſubſtantialis, quanquam immediatè terminetur in unione animæ cum corpore: ſufficere etiam videtur, ad Transſubſtantiationem, ut ea terminetur ad modum aliquem ſubſtantialem. Varios jam modos ſubſtantiales diverſi proponunt; *qui tamen omnes*, inquit Peſantius, *facilè confutantur*. *Tertia* claſſis nihil aſſignat pro termino Transſubſtantiationis: Neque ſubſtantiam, neque ſucceſſionem, neque modum ullum ſubſtantialem, per hoc tamen conatur explicare, quòd hoc Sacramentum converſione ſubſtantiali fiat, quo actio, quâ corpus Chriſti adducitur ſub ſpeciebus ex ſe, & natura ſua, eſt productiva; licèt illud in hoc Sacramento, per Accidens, non producat, quia ſcil. productum jam invenit. Ita *Gab*.d. 11.q. 1.ar.

3.

3.dub.2. *Sot*. d. 9.q.2.artic.4. Sed hoc eſt dicere,*converſionem hanc non eſſe actu in hoc ſacramento, contra Tridentinum*, inquit Peſantius. *Quarta* ſententia, Transſubſtantiationem terminari in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, ſtatuit. Quorum quidam ſic corpus Transſubſtantiationis terminum conſtituunt, non tanquam per illam accipiat de novo ſuum eſſe,ſed tanquam per illam conſervetur in eſſe, accepto per incarnationem. Itaque nullam novitatem in termino ponunt; ſed,ad deſitionem panis,intelligunt,Deum velle Chriſtum adductum ſub ſpeciebus conſervare, *Sot*. Quodl. q. 10.ar. 2. *Gab*.Sed neq; hic probatur modus *Peſantio*,quia panis deſitio ponitur eſſe annihilatio,quod *abſurdum* ille vocat. *Quinta* ſententia eorum eſt,qui ſic corporis Chriſti ſubſtantiam conſtituunt eſſe terminum Transſubſtantiationis,ut ea per Transſubſtantiationem fiat, & de novo accipiat idem eſſe,quod per incarnationem habebat,& conſequenter,ſicut vi novæ productionis accepit eſſe; ſic etiam ratione talis productionis incipiat de novo conſervari. Ita ex Scholaſticis veteribus *Thom.Hug.Altiſcod.Richar.Marſil.Cajet*. Poſt concilium Tridentinum (quod apertè definivit, per conſecrationem,converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis) *recentiores*

res communiter. Nónne, Vir doctiſſime, hoc eſt regnum diviſum? Si ipſi eruditi, ſi Doctores vel non exprimere ſatis perſpicuè; vel confirmare mentem ſuam poſſunt ſolidè, quomodo alios in ſua pertrahent caſtra, aut Catechumenos inſtruent?

VIII. Sed Transſubſtantiatione poſita magis, quàm expoſita; aliæ; ut uno dato abſurdo, cætera ſequi neceſſe eſt; ſubnaſcuntur de *modo præſentia*, quæſtiones. Cùm enim verum & reale Chriſti corpus, ex pane transſubſtantiatum, præſens agnoſcant, quærendi campum Scholaſtici ingrediuntur patentiſſimum; reſpondendi verò exitum ut quærunt diverſiſſimum; ita inveniunt nullum: Id quod eſt λαϐεῖν οὐδὲν, καὶ κρατεῖν καλῶς. Quærunt, *Vtrùm præſentia corporis Chriſti, ex natura rei ſequatur Transſubſtantiationem?* Et hìc, inter Scholaſticos, dividias reperias, quas recenſet *Peſantius*. Acriter diſceptatur, *Vtrùm ſine converſione ulla, acquiri poſſit præſentia corporis Chriſti ſub Speciebus?* Hìc iterum in quatuor itur ſententias. Et primò quidem, ſtatus quæſtionis à nonnullis ita formatur, *An hoc fieri poſſit de potentia ordinata, ex qua corpus Chriſti, vi verborum forma conſecrationis, ſuccedit ſubſtantia panis & vini ſub ſpeciebus eorum?* Quo ſenſu *Scotus & Durandus*, veram eſſe conſecrationis formam, etiam manente panis ſubſtantia, dummodò

dò cum illa incipiat etiam eſſe corpus Chriſti, exiſtimant. Aliter tamen ſentiunt *Nominales*, aliique, quibus ratum eſt, deſitionem panis, eſſe annihilationis mutationem, omnino diſtinctam ab inceptione corporis Chriſti. Sed utramque ſententiam *apertæ falſitatis* ream agit *Peſantius*, tum, quòd definitum ſit à Concilio Tridentino, *vi formæ conſecrationis, panem & vinum converti & transſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti*; tum quòd certum eſſe debeat, de potentia ordinata, præſentiam Chriſti, ſine converſione, in hoc Sacramento, eſſe non poſſe. Ab aliis verò quæſtio ita concipitur; *An ſimpliciter, & ex potentia abſoluta, Deus poſſit Chriſti corpus collocare ſub ſpeciebus, abſque eo, quod panis in illud convertatur? Thomiſtæ*, ſimpliciter fieri non poſſe, ut corpus Chriſti eandem præſentiam habeat ſub ſpeciebus, remanente ſubſtantia panis in converſione aſſerunt. *Scholaſtici* verò communiter tradunt, potentiâ abſolutâ, ſine ulla panis converſione, ſimul poſſe poni ſub ſpeciebus ſubſtantiam corporis Chriſti; cujus contrarium non ſine temeritate poſſit aſſeri. Ubi ad definitionem *præſentiæ Sacramentalis corporis* Chriſti fuerit deventum, quot hic amabò iterum fluctus? *Durandi* ſententia eſt, præſentiam Sacramentalem corporis Chriſti ad ſpecies, eſſe præſentiam *ordinis*, atque ita conſiſtere ſolùm in quadam *relatione*

ra-

rationis,per quam ipſum intelligitur in iis,aut per illas,ubicunque fuerint,operari poſſe. Hoc, ceu *evidenter falſum*,& realis præſentiæ deſtructivum, alii Theologi rejiciunt. *Scotus* ait, præſentiam, relationem eſſe extrinſecus advenientem;ſed & hoc *apertè falſum* eſt,inquit *Peſantius. Cajet.* & *Cap.* ſtatuunt, hanc præſentiam Sacramentalem,eſſe *relationem prædicamentalem*; cujus tamen nullum aſſignant fundamentum aliud,quàm conventionem: quæ tamen, aliorum judicio,talem præſentiam fundare non poteſt. *Thomiſtæ* nonnulli,quibus recentiores quidam accedunt, præſentiam illam in *actuali operatione* corporis Chriſti circa ſpecies conſtituunt,ad modum,quo præſentia Angeli ad locum eſt,per operationem tranſeuntem. Quinta *Scoti, Palud. Gab. Maj. Aliac. Peſant.* ſententia eſt,rationem, qua corpus Chriſti Sacramentaliter exiſtit in Euchariſtia,eſſe modum *abſolutum*, in quo fundatur relatio præſentiæ.

IX. *Quantitatem* Chriſti, in hoc Sacramento,ratione naturalis concomitantiæ,quam habet cum propria ſubſtantia,in qua per ſe,primò ex vi verborum,fit converſio panis & vini, communis ferè Scholaſticorum; qui *Scotum* ea in re ſequuntur; eſt ſententia:niſi quòd Durandus, ut effugiat difficultates, quæ ex Chriſti quantitate in hoc Sacramento oriuntur, neget cor-

corpus Chriſti,ut exiſtens in Euchariſtia,ſuam habere quantitatem (quod alii *erroneum*,alii *errori proximum*,quidam *temerarium* & periculoſum appellant:)Rogati verò,quomodoQuantitas Chriſti in Euchariſtia ſit *indiviſibiliter*,mirum ſe in modum torquent,& extricando intricant. *Nominales* finxerunt,corpus Chriſti ſub ſpeciebus eſſe quantum *realiter*,non *formaliter*,cùm habeat totum id,quod realiter eſt quantitas,ſeu ſuas partes omnes ſubſtantiales; non autem habeat ordinem illum ad locum. Hæc verò ſententia cur nobis placeat? Ne Pontificiis quidem ſatisfacit. *Hæc ſententia non placet*; magni ſunt Theologi Romani verba; *quia formalitas Quantitatis non eſt poſita in ordine aliquo ad alterum,ſed ex intenſione intrinſeca partium.* Altera verò, & communis quidem,ſententia ponit rationem *formalem* Quantitatis in *extenſione intrinſeca*,quâ partes ſubſtantiæ extenduntur in ordine ad ſe,ita ut una ſit extra aliam.*Hi verò*; loquor cum ipſis Theologis Pontificiis; *valde laborant,ut declarent, quomodo hujusmodi extenſio fiat in hoc Sacramento indiviſibilis in ordine ad locum, ita ut pars, quæ eſt extra partem, in ordine ad ſe,in ordine tamen ad locum non ſit extra illam,ſed cum illa & in illa.* Arctiùs nodum conſtringunt ipſi Scholaſtici, noviſque inſtantiis diſſenſum augent. Et quia tutius eſt ex ſpe-

cula proſpicere, quomodo ipſi mutuis adverſarii cadant mucronibus, quàm noſtris eos laceſſere armis, eorum etiam, etſi fortè Scholaſtica potiùs, quàm Theologica, recitabimus verba. Huic indiviſibili Quantitati duo obſtare obſervant: Primum, quòd non tantùm extenſio, & ratio illa partium intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, in ordine ad locum, videatur eſſe de Quanitatis Eſſentia; & conſequenter impoſſibile videatur, quòd duo hæc in hoc Sacramento ſalvari poſſint, ſcilicet, quòd in eo ſit quantitas Chriſti, & quòd ſit in ordine ad locum indiviſibilis. *Antecedens* Durandus probat, quòd, quemadmodum quantitas Eſſentialiter ſit diviſibilis; Ita Eſſentialiter habeat partes poſitione diſtinctas: In hoc enim non poſſe eſſe indiviſibilem. Alterum, quod eos urget, eſt: Quantitatem, poſſe eſſe ſub ubi indiviſibili, repugnare: Dato enim, quod extenſio extrinſeca, in ordine ad locum, ſit quoddam Eſſentiam Quantitatis conſequens; ita tamen cum illa connexum, & conjunctum eſſe, ut neque ſupernaturaliter Quantitas illo poſſit privari. Id quod *Gabriel* & *Ocham* argumento probatum eunt evidentiſſimo: omnem nempe Quantitatem finitam neceſſariò ſequi figuram; figuram autem ſine ordine partium ad locum non dari. Quantitatem proinde finitam, ordine ſuarum partium ad locum, privari non poſſe. Idem valere de raritate

&

denſitate. Hic nodus eſt. Quæ verò ſolutio? *Albertus* in eo rimam quærit, quòd corpus Chriſti, Quantitate ſua, in Euchariſtia eſſe exiſtimet tanquam in ſigno, non tanquam loco. Hæc verò ratio *difficultatem non tollit*, inquit Peſantius. *Henriq.* Quodlib. 1. q. 5. ideo vult Quantitatem in hoc Sacramento eſſe inextenſam, in ordine ad locum, quòd ſub ſpeciebus, ratione ſubſtantiæ, ſit, ac proinde per modum Subſtantiæ tota in toto, & iterũ tota in qualibet parte. Hanc n. rationem eſſe Subſtantiæ. Eandem *Scotiſtæ* ferè ſequuntur ſententiã, vel ideò, quod Patriarcham ſuum, *Scotum*, non *aliter ſenſiſſe* habeant perſuaſum. Sed negant alii, hanc *Scoti* fuiſſe opinionem; negant, eam tantam tollere difficultatem: Cùm illa non aſſignet, per quod Quantitas amittat diviſibilitatem in ordine ad locum, quem naturaliter petit; ſed tantùm ex ea, quod concomitanter ad Subſtantiam ponitur, ſub ſpeciebus, colligit, quòd ponatur indiviſibiliter. Nuper demum Conciliator acceſſit *Peſantius*, qui, prolixo diſcurſu rem quidem confectam daturus, inepta petitione Principii peccat. De eſſentia Quantitatis eſſe, concedit, ut habeat partes *radicaliter*, & quaſi in *actu primo* diviſibiles, & ſic pariter poſitione diſtinctas; non *formaliter* & in *actu ſecundo*; ſed hoc conſequens quid eſſe à Deo, ſeparabile ab Eſſentia Quantitatis. Verùm, ut dixi, hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαβεῖν. Aliter

de quantitate extenſiva corporum, eorúmque proprietatibus Eſſentialibus loqui ſobriam Philoſophiam, aliter de corpore Chriſti Scripturam, ſuprà probavimus. Et quia ſimul & ſemel Miſſæ propemodum habentur innumeræ, adeóq; idem corpus, plurimis locis ſimul præſens eſſe, neceſſe eſt, aliud emergit dubium: *An ergò corpus Chriſti à Deo in pluribus locis, modo extenſo & reali, poni poſſit?* Thomiſtæ certè plerique ſtatuunt, *neque per miraculum* fieri poſſe, ut idem corpus ſitualiter, & extenſum, in duobus ſit locis, & connaturaliter implicare contradictionem. Quando verò negatio *πολυτοπίας* præſentiam corporalem planè evertit, *Scotus*, ejúſque diſcipuli *Scotiſtæ*, & Nominales, Deum corpus Chriſti, & quodcunque aliud in duobus locis extendere poſſe, affirmant. Et quoniam Enti ſua ſunt Accidentia, pergunt rimari: *Utrum ergò corpori exiſtenti, per Dei potentiam, in duobus locis, eadem prædicata utrobique conveniant?* Utque ſuam ſatis exprimere videantur mentem, cardinem controverſiæ in Qualitatibus, non neceſſariò requiſitis ad corpus, abſolutis, intrinſecè inhærentibus in corpore, à quibus forma corporis neceſſariò non dependet, actione productiva in illo poſitis, oſtendunt: *An ſcilicet, præexiſtente corpore in duobus locis, applicato verò agente in uno tantùm, terminus actionis in utroque loco ſimul cum corpore eſſe debeat?*

Digitized by Google

beat? Amplus, ſed periculoſiſſimus ingenii exercendi campus, in quo alius aliud latibulum quærit. Et ſunt quidem, qui volunt, ſuppoſito miraculo conſtitutionis in duobus locis, ex natura rei, & de lege ordinaria, habere ipſum poſſe aliquot Accidentia, & Prædicata abſoluta in uno loco, quæ non habet in alio: Imò opus eſſe novo miraculo, ut Accidentia, quæ corpus habeat in uno loco, eadem recipiat in alio. Ita, verbi gratia, ſi idem corpus, quod ſimul Romæ eſt & Mediolani, Romæ frigeſiat, non ſine novo miraculo idem frigus poſſe utrobique poni. Ita *Ocham, Major, Richard. Ledes.* Alii contra, ne de potentia quidem abſoluta, corpori in pluribus exiſtenti locis; Accidentia aliqua abſoluta in uno loco poſſe tribui, quæ non habeat in alio. Ita *Thomas, Scotus,* quos recentiores nonnulli ſequuntur. Alii iterum duo affirmant: Et de potentia abſoluta fieri poſſe, ut corpus in duobus locis conſtitutum in uno habeat Accidentia quædã abſoluta, in alio verò non habeat. Et de lege ordinaria, & ex natura rei, omnia Accidentia abſoluta, quæ hujusmodi corpus habet in uno loco, debere pariter habere in alio. Hic tamen iterum excipiunt actus vitales contrarios, plenos, perfectos; ſi intelligantur eſſe dependenter à virtute effectiva potentiæ &c. Quid ſi verò (adeò hic tam quæſtionum, quàm diſſenſionum ferax ager eſt) *idẽ corpus, poſtquam poſitum eſt in duobus locis, ſive*

Sacramentaliter, ſive extenſè; ánne in uno manere, in altero verò poteſt corrumpi? In hoc quidem Theologi Romani conveniunt, quòd, de *lege ordinaria*, corpus in uno loco verè & ſubſtantialiter corruptum, non poſſit in alio manere incorruptum; de *potentia* verò *abſoluta* communiter receptum eſt, pariter impoſſibile eſſe, idem corrumpi & manere: quandoquidem corpus, ſi annihilatur, vel corrumpitur, revera in rerum natura eſſe deſinat; adeóque conſequenter, nullibi realiter manet. Pleriſque tamen oppoſitum in hoc placet, de potentia abſoluta idem corpus in uno loco integrum, in altero corrumpi, vel annihilari poſſe. Unde & *Alenſis* aſſerit, *corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe impaſſibile, etiam dato, quòd extra ſit paſſibile & mortale.* Creditne doctiſſimus Vir, vel Apoſtolos redivivos, aptos novæ hujus Scholæ fore Auditores? Sed nondum finis inſolitarum, totiq; antiquitati (unde ne quidem talium apud Veteres mentio) ignotarum quæſtionum. Pergunt igitur dubitare: *An habitudo corporis Chriſti ad ſpecies, ſit habitudo præſentiæ tantùm, vel etiam alicujus unionis?* Et *Scotus* quidem, *Gabriel*, *Aliac.* cæterique *Nominales*, inter corpus Chriſti, & ſpecies nihil videntur agnoſcere, niſi habitudinem præſentiæ Sacramentalis, quæ ex ſola Dei voluntate, & Chriſti inſtitutione permaneat & duret, quoad durant & permanent ſpecies,

cies. Hanc tamen ſententiam prolixè refellit *Sot.*diſt. 9. q. 2. diſt. 10. q. ar. 5. Rejiciunt eam tum veteres Scholaſtici, *Thom. Palud.* tum recentiores, *Cajet. Sot. Ledes.* qui præſentiam in corpore Chriſti, aliquam ponunt, habitudinem unionis ad ſpecies, ratione cujus ſimul cum illis eſſe debeat, & in quiete & in motu; illiſque deſinentibus, deſinere, aliáſque denominationes accipere. Rogati verò poſteriores, qualis illa ſit unio, hærent iterum & ceſpitant ubique. *Cajetanus* ſimpliciter dicit & docet, eſſe *ineffabilem. Sotus* & *Claudius* in hoc conſiſtere volunt; quòd corpus Chriſti vices panis circa ſpecies, ſuppleat, ſecluſa tamen inhærentia. Quomodo verò illud fiat, non explicant. *Peſant.* unionem inter corpus Chriſti & ſpecies, negat eſſe unionem *formalem*; per quam ſpecies formaliter ſubſtantiæ corporis uniantur (ita enim Accidentia non eſſent ſine Subjecto) ſed *effectivam*, conſiſtentem in duplici actione, *immediatione ſuppoſiti*, ſcilicet corporis Chriſti, conſervantis ſpecies; & ſpecierum, per divinam elevationem producentium *ubi Sacramentale*; quod eſt fundamentum inſeparabilis præſentiæ, quam ſpecies & corpus Chriſti mutuò habent.

X. *Videte manus meas & pedes meos*; Luc. 24. Ita de ſuo corpore Chriſtus; ſed, quod in Miſſa creatur à Sacerdote, corpus, Characterem hunc non habet. Ad quæſtionem enim, *an corpus exi-*

ſtens indiviſibiliter in ordine ad locum ; ſit viſibile? Pridem reſponſum fuit ; Corpus Chriſti in Sacramento videri non poſſe,nec per naturam,nec per gloriam,nec per miraculum. Sententia etiam,quòd corpus Chriſti,ſub *ubi Sacramentali,* non ſit viſibile, placet *Thomæ, Scoto, Richardo , Paludano , Durando , Cajetano , Capreolo*; cæteriſque, qui *Nominalium* ſectæ non ſunt adſcripti. Hi enim apertè docent,quòd,niſi Deus ad meritum fidei (quaſi fidei eſſet mereri,non verò meritum apprehendere) impediret concurſum cauſarum ; naturaliter,non tantùm à beatis,ſed etiam à nobis corpus Chriſti in Euchariſtia videretur. Rationes tamen eorum *Peſantius* non probat. Quid ſi verò neque *Peſantii* exceptiones placerent *Ochamo?* Nihil ergò hic veri, nihil ſolidi. *Sed an oculus Chriſti videt corpus ſuum in Euchariſtia exiſtens ?* Affirmativa *Thomæ* tribuitur,qui oculum corporalem Chriſti videre ſe ipſum, ſub Sacramento exiſtentem , quidem concedit; non poſſe tamen ipſum eſſendi modum,quo eſt ſub Sacramento , quod ad ſolum pertinet intellectum, videri. Hoc autem *Thomæ* dictum,ſicut communiter intelligitur ; non eſſe verum,alii ingenuè fatentur.

XI. Illud cumprimis omnia Naturæ principia evertit: *Sola,in Euchariſtia,ſupereſſe Accidentia, deſtructo Subjecto.* Et quia vident Doctores Scho-

Scholaſtici, elementa illa nutrire, ſaturare, in cinerem redigi, generare vermes &c. anxiè quærunt: *Quod, & unde ſit Subjectum generationis illius?* Ubi incertitudine iterum nihil certius. *Thomam*, nonnulli aſſerunt ſubjectum in hujusmodi generatione quantitatem per ſe ſubſiſtentem, ſtatuiſſe. Ita etiam *Richard. Henriq. Quidam*, ſicut in omni alia generatione, ita etiam in hac materia, per quam ex Euchariſtia fit vermis, vel ignis, certum ſubjectum & neceſſarium eſſe exiſtimant. Unde verò illa provenit? Hîc vel *quinque* diſtinctas reperias claſſium ſententias. *Prima* credit, materiam ex ambiente ſumi. Hanc verò ſententiam ipſe confutat *Thomas*. *Secunda* materiam ex corpore Chriſti deſumit. Quibus *Alenſis* reſiſtit, *Bonaventura*, hoc potiſſimum argumento, quòd ita corpus Chriſti eſſet corruptibile. *Tertia* tradit, in corruptione ſpecierũ redire totam ſubſtantiam panis & vini, & ſic ex ſubſtantia panis & vini redeunte, generari cineres. Sed et his dicam ſcribit *Thomas*, quòd inde ſequeretur, corpus Chriſti deſinere. *Quarta* vult, redire ſolam materiam, & quidem, ut nonnulli docent, partim ſupernaturaliter creatam à Deo (ſed nec in his acquieſcit *Thomas*, quòd non ſit neceſſe miracula multiplicari: Quamvis alii hunc metum fruſtra obtendi velint) partim verò *naturaliter*, quod tamen ipſum eodem modo non explicant. *Quinta*, *Thoma*, aſſerit

N 5 in

in hac generatione, ex converſione, quæ fit à Deo, vi conditionis, in eodem inſtanti temporis, quo fit naturaliter generatio, venire, ſed in priori naturæ & rationis. Quam ſententiam recentiores etiam recipiunt, fuſéque eam *Peſantius* explicat.

XII. Atque hæc quidem de verbis inſtitutionis, earúmque ficta virtute: ex actionibus Sacramentalibus *fractio* non poſtrema eſt. *Fractione* enim *panis* (ita vocat Spiritus Sanctus, non fractionem Accidentium) Synecdochice ipſa Domini Cœna exprimitur. Sed ignorat Eccleſia Romana veterem Apoſtolicum ſtylum. Rogati enim, quid in Sacramento frangatur? Hæſitant iterum. Alii, teſte ſententiarum *Magiſtro*, ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam frangi dixerunt. Sed negat *Lombardus*, negant recentiores, propterea, quòd Chriſti corpus fractionis jam, omníſque paſſionis ſit expers. *Alii* proinde non veram, ſed apparentem tantùm & phantaſticam ſomniant fractionem: quod eadem rejicitur, qua affertur, facilitate. Ita enim perpetuam illuſionem in abſtruſiſſima myſteria inferremus. Accidentia igitur tandem frangi volunt: quod abſurdiſſimum eſt. Mathematicam ei quodammodo tribuunt quantitatem, à materia ſeparatam, quæ diviſa, vi tantùm mentis, & intellectus fit facultate: cùm tamen conſtet, ſymbolum fractum ita dividi, ut partes quàm mani-

fe-

feſtiſſimè videantur ſeparatæ. Unde *Peſantius: Illud quidem, quod manducatur in propria ſpecie, ipſum & frangitur & maſticatur in ſua ſpecie. Corpus autem Christi non manducatur in ſua ſpecie; ſed in ſpecie Sacramentali, nec etiam aliter frangitur, niſi ſecundum ſpeciem Sacramentalem.*

XIII. Cauſam finalem Euchariſtiæ & ipſe Servator ponit, ut fiat ſacra hæc actio, εἰς ἀνάμνησιν, *in recordationem* paſſionis Dominicæ, & Paulus exponit, quando *communionem corporis Chriſti* tam naturalis, quàm myſtici appellat. Quæ quidem plana omnia ſunt & perſpicua, tyronibus etiam & Catechumenis perceptu facilia. Nulla hîc certamina, nullæ colliſiones, nulli diſſenſus. Sed poſtquam Eccleſia Romana ex hoc Sacrificii Chriſti in cruce ſemel peracti memoraculo, aliud iterum ſacrificium reale & expiatorium extruxiſſet, in quo tamen nulla nec materia ejus, nec forma apparet, nova diſputandi materia nata, & ea quidem, quæ etiamnum Scholas Pontificias acerrimè exercet. Ad quæſtionem enim: *Quid in Miſſa offeratur?* Reſpondet *Caſalius*, duplex in Miſſa eſſe ſacrificium, *unum* panis & vini; *alterum* corporis & ſanguinis Domini. *Bellarminus* duo dicit, *primò*, panem & vinum verè & propriè ſacrificari: negat *deinde*, panem & corpus Domini, vinum & ſanguinem ejus, duo eſſe ſacrificia, ſed unum in-

integrum. *Peſantius* verò non credit, concedendum eſſe, quòd panis & vini ſubſtantia ſacrificetur. D*ato enim*, inquit, *quòd panis & vinum fiat ſacrificium, vix aut ne vix quidem ſalvari poterit, quòd non ſint plura Eccleſiæ ſacrificia*. Mavult igitur, panem eſſe remotam materiam unici ſacrificii, quod eſt in Eccleſia, ejúſque ſubſtantiam deſinere, dum conſecratur, & fieri proximam atque optimam materiam ſacrificii; id verò, quod in Miſſa conſecratur, offertur, & ſumitur, adeóque ſacrificatur, eſſe Euchariſtiam, id eſt, ſpecies, cum corpore & ſanguine Chriſti. Ad quæſtionem, *in qua parte Miſſæ ſit Eſſentialis ratio ſacrificii? Quidam* reſpondent: Sacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtere in ſola *actione conſecrationis*: quam ſententiam *Thomæ* tribuunt. *Alii* ſtatuunt, *oblationem* eſſe totam ſacrificii Eſſentiam; propterea, quòd offerre & ſacrificare Scripturæ & Patribus ſint æquipollentia. *Alii* tamen, ſolam *conſumtionem* eſſentialiter facere ſacrificium, dum fit à Sacerdote, ex officio Sacerdotii, malunt. Sed excipiunt iterum alii, conſecrationem illam non habere rationem ſacrificii, niſi lata ſignificatione. *Sotus*, *Bellarminus*, *Henriquez*, recentiores plerique, aſſerunt, Miſſæ ſacrificium eſſentialiter *tribus actionibus* contineri, *conſecratione*, *oblatione* & *conſumtione*, ita ut his ſacrificium non modò integretur; ſed

etiam

etiam conſtituatur. De *valore* denique hujus ſacrificii non magis inter ipſos convenit. *Alii* enim docent, Miſſam eſſe ſimpliciter valoris infiniti, ita ut oblatio pro pluribus, æquè illis proſit, ac ſi pro ſingulis ſeparatim offerretur. Sed ipſe, hanc ſententiam, *Thomas confutavit*. *Alii* proinde, recentiores præſertim, dicunt, Miſſæ valorem, ſecundum ſe ſumtum, eſſe infinitum; ſumtum verò, ut applicatur ex intentione, & devotione offerentium, eſſe finitum. Sed neque hanc ſententiam probant *alii*, quòd non videantur intelligere rationem & Eſſentiam ſacrificii, cùm non diſtinguant ſacrificium à re, quæ ſacrificatur. *Alii* proinde tradunt, valorem Miſſæ ſimpliciter eſſe finitum, ita ut applicatus plurimis minuatur pro rata; quæ ſententia, ante *Cajetanum*, fuit communiter recepta. Atque horum mentem *Thomas* ita exprimit: *Quamvis virtus Chriſti, quæ continetur ſub Euchariſtiæ, Sacramento ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur: Unde non oportet, quod per unum ſacrificium altaris tota pœna eorum, qui ſunt in purgatorio, expietur, ſicut etiam nec per unum ſacrificium, quod homo offert, liberatur à tota ſatisfactione, debita pro peccatis: unde etiam quandoque plures Miſſæ in ſatisfactionem unius peccati injunguntur*; in 4. d. 45. q. 2. ar. 4. q. ult. Sed alia hinc difficultas. *Quæ cauſa ſint*

hujus

integrum. *Peſantius* verò non credit, concedendum eſſe, quòd panis & vini ſubſtantia ſacrificetur. Dato enim, inquit, *quòd panis & vinum fiat ſacrificium, vix aut ne vix quidem ſalvari poterit, quòd non ſint plura Eccleſiæ ſacrificia.* Mavult igitur, panem eſſe remotam materiam unici ſacrificii, quod eſt in Eccleſia, ejúſque ſubſtantiam deſinere, dum conſecratur, & fieri proximam atque optimam materiam ſacrificii; id verò, quod in Miſſa conſecratur, offertur, & ſumitur, adeóque ſacrificatur, eſſe Euchariſtiam, id eſt, ſpecies, cum corpore & ſanguine Chriſti. Ad quæſtionem, *in qua parte Miſſæ ſit Eſſentialis ratio ſacrificii? Quidam* reſpondent: Sacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtere in ſola *actione conſecrationis*: quam ſententiam *Thomæ* tribuunt. *Alii* ſtatuunt, *oblationem* eſſe totam ſacrificii Eſſentiam; propterea, quòd offerre & ſacrificare Scripturæ & Patribus ſint æquipollentia. *Alii* tamen, ſolam *conſumtionem* eſſentialiter facere ſacrificium, dum fit à Sacerdote, ex officio Sacerdotii, malunt. Sed excipiunt iterum alii, conſecrationem illam non habere rationem ſacrificii, niſi lata ſignificatione. *Sotus*, *Bellarminus*, *Henriquez*, recentiorés plerique, aſſerunt, Miſſæ ſacrificium eſſentialiter *tribus actionibus* contineri, *conſecratione*, *oblatione* & *conſumtione*, ita ut his ſacrificium non modò integretur; ſed

etiam

etiam conſtituatur. De *valore* denique hujus ſacrificii non magis inter ipſos convenit. *Alii* enim docent, Miſſam eſſe ſimpliciter valoris infiniti, ita ut oblatio pro pluribus, æquè illis proſit, ac ſi pro ſingulis ſeparatim offerretur. Sed ipſe, hanc ſententiam, *Thomas confutavit*. *Alii* proinde, recentiores præſertim, dicunt, Miſſæ valorem, ſecundum ſe ſumtum, eſſe infinitum; ſumtum verò, ut applicatur ex intentione, & devotione offerentium, eſſe finitum. Sed neque hanc ſententiam probant *alii*, quòd non videantur intelligere rationem & Eſſentiam ſacrificii, cùm non diſtinguant ſacrificium à re, quæ ſacrificatur. *Alii* proinde tradunt, valorem Miſſæ ſimpliciter eſſe finitum, ita ut applicatus plurimis minuatur pro rata; quæ ſententia, ante *Cajetanum*, fuit communiter recepta. Atque horum mentem *Thomas* ita exprimit: *Quamvis virtus Chriſti, quæ continetur ſub Euchariſtiæ, Sacramento ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur: Unde non oportet, quod per unum ſacrificium altaris tota pœna eorum, qui ſunt in purgatorio, expietur, ſicut etiam nec per unum ſacrificium, quod homo offert, liberatur à tota ſatisfactione, debita pro peccatis: unde etiam quandoque plures Miſſæ in ſatisfactionem unius peccati injunguntur*; in 4. d. 45. q. 2. ar. 4. q. ult. Sed alia hinc difficultas. *Quæ cauſæ ſint hujus*

hujus Chriſti voluntatis ? Et fatetur quidem *Peſantius*, inveſtigationem ejuſ eſſe *difficillimam*. Cùm enim Chriſtus idem,qui ſe obtulit in cruce per ſacrificium cruentum,pariter ſe offerat in altari per ſacrificium incruentum,parem videtur dare debere utrique ſatisfactionis valorem,& cùm eadem ſit victima,idémque Sacerdos, non apparere rationem, quare infinitus valor oblationis Chriſti ad finitam quantitatem in Miſſa reſtringatur. Plerorumque ratio ex parte Hoſtiæ eſt deſumta. Cùm enim in ſacrificio *cruento*,in Dei honorem,ipſum eſſe Naturale Chriſti in forma humana deſtructum ſit: In ſacrificio verò Miſſæ tantùm eſſe Sacramentale deſtruatur; nobilius utiq;, magiſq; pretioſum videri eſſe Chriſti naturale,quàm Sacramentale. Ita plerique. *Sed nihil valet hæc ratio*,inquit gravis Eccleſiæ Romanæ Theologus, *quia omnino idem eſt eſſe exiſtentiæ creatæ,& eſſe ſubſiſtentiæ increatæ in Chriſto,ſub ſpeciebus Euchariſtiæ poſito.* Altera ergo magis placet ratio, quæ à priori,ex Natura ipſius ſacrificii impetratorii & ſatisfactorii deſumitur,ubi non rei tantùm oblatæ,ſed & perſonæ offerentis ratio habetur. Etſi ergò Sacerdos perſona ſit digna,& Miniſter Chriſti,ſed finitæ dignitatis: Is autem, cui fit oblatio,ſit Deus infinitus,reſpectu tamen infinitatis hujus omnem oblationē creaturæ potiùs minui,quàm valorē accipere. At ne hæc quidem

dem ſententia ab exceptione eſt libera. Id quod monere, quàm perſequi jam malumus.

XIV. Pergamus igitur ad *Subjectum* tum remotum, tum proximum. Et de illo etiam variæ in Scholis Theologorum Pontificiorum ſunt quæſtiones: Utrum ſolius hominis ſit hoc *Sacramentum ſpiritualiter ſumere? Utrum ſolus homo juſtus poſſit Chriſtum Sacramentaliter manducare? Utrum peccator ſumens corpus Chriſti Sacramentaliter, peccet?* &c. quas vel indicâſſe ſufficiat: de *hoc* verò, ventre ſcilicet & ſtomacho, præſtaret religioſè ſilere, quàm profanè quærere. Quærere tamen ſolet Schola Pontificia: *Utrum corpus Chriſti etiam trajiciatur in ventrem beſtiæ?* Et reſpondet *Alenſis*: Corpus Chriſti contineri in illis ſpeciebus inſeparabiliter, quamdiu ſalva eſt forma panis, & ubicunque ponuntur ſpecies, ſive in loco mundo, ſive immundo, ſive in ventre muris, ibi eſſe corpus Chriſti. Atque, ſi canis vel porcus deglutiat hoſtiam conſecratam integram, corpus Domini una cum ſpecie trajici in ventrem canis & porci, P. 4. q. 11. memb. 2. art. 2. ſſ. 1. Sed & *Thomas* reſpondet, manere Chriſtum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, donec talis & tanta mutatio contingat ſpeciebus, per quam corrupta fuiſſet, & eſſe ſub eis deſiiſſet ſubſtantia panis & vini, ſi non facta eſſet Transſubſtantiatio: 3. P. q. 77. ar. 4. Eadem ſententia eſt *Gabrielis*, in

in 4. ſentent. diſt. 12. q. 1. art. 3. *Bonaventura* quidem etiam concedit, non ſolùm ſpecierum; ſed et corporis Chriſti veri, quod ibi eſt, quamdiu eſt ſpecies panis, in ventrem trajectionem; in 4. *Sentent.* d. 12. *Par.* 1. ar. 3. q. 1. eam tamen opinionem rejiciendam putat, *ut intolerabilem piis auribus, quæ non ſuſtinent audire*, quòd in ventre muris & in cloaca ſit corpus Chriſti. Alteram tamen, ceu communiorem, prævaluiſſe, ſuprà jam à nobis indicatum eſt. De *mora* corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus quæras? Reſpondet *Hugo* de S. Victore, tamdiu Chriſtum communicanti eſſe corporaliter præſentem, quamdiu manducantis ſenſus corporaliter afficitur, non ulterius: *Specul. Eccleſ.* c. 7. *Thomas* & *Gabriel* deſcendere in ſtomachum, ibíq; manere, donec eo uſque alterentur ſpecies, ut non ſubſiſteret ampliùs ſub illis natura panis & vini, non facta Transſubſtantiatione. *Alii* dicunt, Chriſtum deſcendere in ventrem hominis, ibíque morari, quouſque refectionis operatio compleatur. *Alii* Chriſtum ad ventrem pervenire, quouſque incipiant ſpecies conſumi, & amplius non morari. His quatuor opinionibus commemoratis *Bonaventura* ſubjicit, difficile eſſe judicare, quid in tanta diverſitate tenendum ſit: In 4. *Sent.* d. 13. art. 2. q. 2. *Gloſſa* autem, in Canon. *Tribus gradibus* &c. Diſt. 2. de Conſecratione, negat ipſas ſpecies Sacramentales

tales

tales in ſtomachum deſcendere; addita tamen mox correctione, *deſcendere in ſtomachum.* De Chriſti autem corpore idē Gloſſa illa negat: *Certum eſt*, inquit, *quod ſpecies, quàm citò dentibus teruntur, tam citò in cœlum rapitur corpus Chriſti.* Roffenſis autem: *Sin*, inquit, *eandem carnem, quæ pro nobis in cruce fuerat immolata, neges in os noſtrum ſumi realiter, & edi, atque transglutiri, ſicut eſt in Sacramento citra transformationem in corpus noſtrum, perperam cogitas & ſentis; & planè contra ipſius Chriſti verba, qui dixit;* Accipite & edite, hoc eſt corpus meum; lib. 3. cont. Oecolamp. c. 13.

XII. Hæccine eſt harmonia & conſenſus in doctrina, quam inter notas Eccleſiæ Catholicæ referunt Scriptores Pontificii? Heic, heic verè, ſi uſpiam alibi, viis erroribus implicitis, implicita ſuccurrat fides neceſſe eſt. Non diſſeram prolixiùs de momento capitis, in quo controvertitur: Certum eſt, eſſe ex primariis Eccleſiæ Romanæ dogmatibus, pro quo hactenus Scholaſtici acerrimè dimicârunt: Eſſe Articulum, meo judicio, ſtantis & cadentis Papatus. Unde etiam factum, ut ſuperiori ſeculo in hoc maximè retinendo & defendendo Transſubſtantiationis dogmate Doctores Pontificii aptârint lacertos. Nihil dicam, de gradibus diſſenſus, ejus vehementia, animorúmque exacerbatione, quæ tanta ſæpe eſt, ut apertam hæreſeos notam alteru-

tra contradicentium pars evitare non poſſit. Illud verò expendere velim Virum doctiſſimum, an vel Chriſtus,vel Apoſtoli ſalutarem nobis Sacramentorum uſum & adminiſtrationem tot obſcuris, ambiguis & ſinuoſis anfractibus propoſuerint? An in Eccleſia primitiva vel umbra umbratilis hujus diſputationis de Accidentibus(*elementa* enim *ſymbola*,*ſigna* &c.illa vocat; Accidentium certè nunquam & nuſpiam, Tridentino ſenſu meminit) occurrat? An hæc ratio ſit myſteriorum,ut quæ credere ſimpliciter debemus & religioſè mirari; adeò curioſè rimari vel conveniat,vel expediat? Si myſterium eſt,Cœna Domini,ut revera μυςήριον ἀπῤῥητον,teſte Epiphanio, *myſterium ineffabile* eſt, cur omnes,minutiſſimæ etiam ejus circumſtantiæ,abſtruſiſſimi illius modi,in Scholis Pontificiis excutiuntur,ventilantur,ad digitos numerantur? Myſteria non ſunt, quæ non latent; nec quod humano aſſequi licet ratiocinio,divinorum annumerari debet myſteriorum catalogo. Id certè,cujus τὸ ὂν pariter atque ποῖον,cujus *ſubſtantiam* & *circumſtantiam* ex cauſis ſuis cognoſcimus,inter myſteria referri nec poteſt,nec debet. Sed placuit divinæ providentiæ,ut illi,qui expreſſâ formâ ſaniorum ſermonum retinere noluerunt, incerti & vagabundi viis ſuis irent; cogitationibúſque ſuis confuſi & perplexi,exemplum aliis præberent,quàm ſit

pe-

periculoſum à ſimplicitate Apoſtolica recedere adeóque plus ſapere, quàm oportet. An igitur dogma novum, adeò incertum, variè in Scholis traditum, & nec dum ad certæ & conſtantis Methodi leges revocatum, pro fundamentali fidei articulo poſſit obtrudi, ipſe V. d. judicet?

XIII. Addimus, coronidis loco, Idololatriæ periculum, quod ex *Intentione*, à Schola Pontificia præciſè in celebratione Sacramentorum requiſita, emergit præſentiſſimum. Ubi tamen iterum monemus, ne hanc quidem de Intentione doctrinam in Scholis Pontificiis eadem Methodo tradi. Primò enim *Thomas* ait requiri, *ut Miniſter intendat facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia*, 3. P. q. 64. ar. 8. *Bonaventura* aſſerit, *neceſſariam eſſe Miniſtri intentionem, quâ intendit ſaltem facere, quod Eccleſia facit*, in 4. Sent. d. 6. P. 1 1. ar. 2. q. 1. *Ambroſius Catharinus* Epiſcopus Minorienſis, in Concilio Tridentino palàm aſſeruit, *Deum conſtituiſſe, ut illud ſit verum Sacramentum, quod ritu ab ipſo inſtituto celebratur, etiamſi Miniſter aliam habeat intentionem internam:* Quam ſuam ſententiam ita confirmat, ut contrariam refutet. Ipſum verò Concilium anathema denunciat dicenti: *In Miniſtris Eccleſiæ, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia*, ſeſſ. 7. can. 11. Et quanquam virulentam in ſententiam

Catharini Bellarminus ſtrinxerit cenſuram, lib. 1. de Sacram. cap. 27. expreſſa tamen illa nititur authoritate *Innocentii* IV. apud *Angel. de Clavaſ.* voce Baptiſmus d. 5. Variant deinde Doctores in intentionis extenſione. *Thomæ* ſufficit intentio Eccleſiæ, ſi nihil contrarium ex parte Miniſtri, vel recipientis, exteriùs exprimatur. *Scotus* verò negare videtur, Sacramenti veritatem, ſi interveniat in Miniſtro motus voluntatis contrarius, licèt exteriùs non expreſſus. Cætera ſicco jam pede tranſibimus. Vel breviter dicta, abundè ſatis probant; decumanam certè Eccleſiæ Romanæ eſſe miſeriam, quæ tot nexatur ſcrupulis; tot urgetur difficultatibus; dum quotidie proſternere ſe, in genua procidere, cultum adorationis deferre illi jubetur, de quo nihil certi (eſt enim cor hominis fraudulentum ſupra omnia, & morbiferum, &, quis cognoſcat ipſum, ut *Ieremias* loquitur, cap. 17. verſ. 9.) polliceri ſibi poſſint. Aut, unde communicaturus exploratum habebit, Sacerdotem *confecturum*, (Scholæ Pontificiæ terminum retineo) intentione accedere, id faciendi, quod facit Eccleſia Romana? Si eam non affert, ut non ſemper afferre illum extra controverſiam eſt, jam id, quod adoratur, Idolum eſt, & creatura, ex propria adverſariorum hypotheſi. Hinc *Bonaventura*: *In quodam Decretali dicitur, quòd plus peccat malus Sacerdos, qui non conficit, & ſimulat ſe con-*

conficere, quàm ille, qui conficit: pro eo, quod facit populum Idololatrare: In 3. ſentent. d. 19. art. 1. q. 6. Ergò ne adeò malitioſos & perverſos Eccleſia Romana alat Sacerdotes, qui, cùm impiis & diſſolutis vivant moribus, ſceleribus maniſeſtiſſimis cooperti, ſcientes etiam & deſtinato animo ad altare accedant, ſtudio imperitam plebem Idololatriæ nexibus implicandi? Ita eſt; Contigiſſe hoc, ſuperiorum ſeculorum fides dubitare nos non ſinit. Quod autem contigit ſemel, id ipſum, maximo cum animarum diſcrimine, evenire poteſt ſæpius. Memorabile, in Hiſtoria ſuorum temporum, exemplum refert *Iohannes Vitoduranus*, Monachus Franciſcanus, Sacrificuli cujuſdam. *Quidam*, inquit, *Sacerdos ut percepi viva voce, fide digna relationis cujusdam Baronis, Parochianus (utinam fuiſſet inofficians!) quandam Parochialem Eccleſiam territorii Diœceſis Conſtantienſis, in Pago Turgavienſi, lubricam valde duxit vitam, in tantum, quòd, licèt tabernarius, luſor, corrizator, perjurus, uſurarius, ebrius & fornicarius frequenter exiſteret, non minùs tamen intrepidè quotidie Miſſam celebravit: Quod dum ſibi objiceretur, & duris & invectivis verbis redargueretur, & diceretur ſibi, qua fronte toties præſumeret celebrare, cùm ſciret, ſe abſque contritione tam multis enormibus vitiis continuè implicatum, reſpondit: Quod nunquam confi-*

ceret, ſed tantùm albam regulam, in modum hoſtiæ formatam, horâ elevationis, demonſtraret; quam & loco ſecretiſſimo conſervaret, & extraheret, quia neceſſitas & opportunitas celebrandi Miſſam, tempore debito, immineret. Ex his patet, quòd ille maleficus Sacerdos, ex inſtinctu Diabolico concitatus, immaniſſimum ſcelus commiſit. Nam more etiam Ieroboam populum peccare fecit, eum ad Idololatriam pertrahendo. Nam lignum pro corpore Chriſti vero adorabant. O quanta dementia, error & iniquitas in illo perverſiſſimo, cæciſſimo Presbytero, filio Diaboli, cujus opera fecit, ebullivit! *Nam volens effugere grande peccatum, incidit in enormiſſimum. Nam Idololatriæ cauſam ſcienter dedit, ſicut prius dixi, quæ eſt flagitium pernicioſiſſimum, & execrabiliſſimum, ut patet in multis ſacræ Paginæ locis. Patet etiam per hoc, quia omnis celebrans ex inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ tenetur conficere integrè.* Sed ſit hoc adeò enorme & rude, profligatæ nequitiæ, ſpecimen, ut rariùs contingat; num præſtabit doctiſſimus Vir, Sacerdotes ad obeunda ſacra Miſſatica ſic ſemper vel paratos, vel devotos accedere, ut de Intentione ſeriò cogitent? An ipſa de Transſubſtantiatione doctrina ita cõparata eſt, ut cujuslibet ſacrificuli memoria exactè ſatis omnia capiat, quæ in officio Miſſatico Intentione celebrando requiruntur? Cur ex *u-*

nius

nius hominis vel ſcientiæ,vel conſcientiæ defectu ipſa periclitetur *unitas*,& integra Eccleſia? An hæc talia Evangelio congrua ſint,an magis Theologi iſti ſecundùm Evangelium ſentiant, ut doctiſſimi Viri verba repetam,quàm Proteſtantes,qui tot controverſiarum nodos uno feliciſſimè ſolvunt verbo, ipſe viderit. Nos profectò ad tam horridam & hiſpidam Scholaſticarum contentionum ſylvam prorſus contremiſcimus,Deóque, quòd infantibus myſteria ſua, ſimplicitate ſermonis,revelârit,gratias agimus, eandem facilitatem & felicitatem ex animo aliis apprecantes

SECTIO XIV.

Transſubſtantiatio *eſt dogma ſcandaloſum, quo non tantùm infideles, Gentes, Judæi & Muhammedani graviter offenduntur; ſed & ad blaſphemas, contra Chriſtum & Chriſtianos, voces irritantur.*

I. Non adderem hanc mantiſſam (cur enim canes & porcos myſteriorum ſacrorum Antiſtites,vel etiam Cenſores Chriſtiani conſtituant?) niſi & Eccleſia Romana hoſtium teſtimonio multum deferret,imò inter Eccleſiæ notas numeraret,& ipſum hoc ſcandalum eſſet datum,

non acceptum. Et mittam quidem, quod *Cicero* de Deo panaceo in genere dixit: *Ecquem tem amentem eſſe putas, qui id, quo veſcatur, Deum eſſe credat?* Loco ſuo relinquam, quod *Averroi* tribuitur, de Chriſtianiſmo judicium: *Omnes regiones peragravi, nec Chriſtiana gente deteriorem ullam reperi: Quia, quem Deum adorant, hunc dentibus devorant.* Non ſolicitabo reſponſum Legati cujuſdam Muhammedici, qui in aula quadam Principis Chriſtiani interrogatus, cur adeò infenſis animis Turcæ Chriſtianos perſequerentur, & non potiùs in Chriſtianorum caſtra tranſirent, dixiſſe fertur: *Nemini, vel ex ſenſuum judicio, eam placere poſſe religionem, quæ Numina colat, ipſis cultoribus inferiora.* Imagines potiſſimùm & Artolatriam intellexit, quæ Genti barbaræ ſudes hactenus fuerunt in oculis, & periculoſus lapis offendiculi. Referam; non urgebo tamen hac vice; quæ de *Friderico* Imperatore tradunt Scriptores Pontificii: Eum; poſtquam cum exercitu ingenti feliciter contra Soldanum pugnâſſet, &, magna potitus victoria, Hieroſolymis Euchariſtica Deo perſolvere paratus eſſet; Templariorum & Hoſpitaliorum avaritia & contentionibus ſic offenſum fuiſſe & perturbatum, ut de religione ſua, Miſſæ præſertim ſacrificio, dubitare cæperit. *Vnde* (verba ſunt *Iohannis*, Monachi Vitodurani in Hiſtoria ſua Mſc.) *agens* *in-*

in partibus fortè, ut ſuſpicor, transmarinis, triumpho jam potito, ſecundùm opinionem iſtorum ac relationem aſtruitur, quadam dierum ipſum in pompa præcellenti, ſtipatum undique corona Procerum, Miſſarum ſolenniis interfuiſſe, & ibidem à Soldano vel Principe quodam alio infideli inquiſitum ab eo, fuiſſe, quid in manibus Sacerdotis elevaretur, & cum adoratione tam reverenda ab eo & cunctis Chriſticolis tam diligenter conſpiceretur? Tale dicitur ei dediſſe reſponſum: Sacerdotes noſtri fabulantur, id quod ſurſum erigitur, fore Deum. Ad quòd ille: Si fuiſſet Deus ille tantæ magnitudinis, ut mons maximus, dudum à Presbyteris veſtris ipſum quotidie in Miſſa manducantibus, conſumtus fore potuiſſet. *Quidam tamen de eo referunt, quòd totis vellet niti viribus, ut ritus ſalutares Hoſtiæ ſeu Euchariſtiæ è medio tollerentur, & huic cogitatui malitioſiſſimo, meo judicio, incitamentum præſtitit prædicti Principis Pagani venenoſum verbum.* De eodem refert *Friderico Imperatore*, quòd aliquando, cum exercitu prope Rhenum in uberrimo plenæ meſſis campo tranſiens, exclamârit: *O quot autem ſuo tempore ex hoc frumento conficientur!* His, ut dixi, non immorabor, tum quòd ab aliis etiam ſint notata, tum quòd ex noſtratibus tantùm petita.

II. Sed & veterum argumenta contra Gen-

tium Idola, aras, delubra ſolicitare poſſemus, quæ certè cauſæ noſtræ non obſcurè favent. Annon enim per Paganiſmi latus ipſe quoque *μετουσιασμὸς* Pontificius transfigitur? *Tertullianus* audiatur ex Apologet. *Igitur, ſi ſtatuas & imagines frigidas, mortuorum ſuorum ſimilimas, non adoramus, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt, nonne laudem magis, quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Audiatur *Minucius Felix*: *Quanta verò de Diis veſtris, animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non ſentire eos ſciunt, nôrunt, inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant.* Audiatur *Lactant. Firmian.* ex lib. 2. divin. Inſtit. cap. 2. *Adorant ergò inſenſibilia qui ſentiunt; irrationabilia qui ſapiunt; ex anima, qui vivunt, terrena, qui oriuntur è cœlo.* Audiatur *Athanaſius cont. Gent. pag. 17. Poſtea, adorantes lapides & ligna, non vident, quod alia iis ſimilia, pedibus conculcant, & comburunt, partem verò eorum Deos nuncupant, & quæ paulò antè ad uſum* (communem adhibuerunt) *jam per inſaniam ſculptum colunt.* Item: *Quomodo quis vel hoc nomine eos non miſeretur, quòd videntes illi ea, quæ non vident, adorant, audientes ea, quæ non audiunt, invocant?* &c. Audiatur Arnob. lib. 6. adv. Gentes: *In ſimulachris Dii habitant, ſinguli ne in ſingulis toti, an partiliter atque in mem-*

membra diviſi. Nam neque unus Deus (Gentium puta & corporeus, ut Vulcanus) *in compluribus potis eſt uno tempore ineſſe ſimulachris, neque rurſus in partes ſectione interveniente diviſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulacrorum toto in orbe eſſe Vulcani. Numquid eſſe, ut dixi, decem omnibus in millibus potis eſt uno in tempore? Non opinor. Qua cauſa? quia quæ ſunt privata, ſingulariaque natura, multa fieri nequeunt, ſimplicitatis ſuæ integritate ſervata* (id eſt, ſi non dividuntur) *Et hoc ampliùs nequeunt, ſi hominum formam Dii habent, opinatio ut veſtra declarat. Neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diviſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius. Aut dicendum eſt, portiones idem poſſe, quod totum; cùm conſiſtere nequeat, niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetur, perit omnis ratio atque integritas veritati, ſi hoc fuerit ſumtum, poſſe unum in omnibus uno tempore permanere. At Deorum unusquiſque dicendus, ita ipſum ſemet ab ipſo ſe dividere, ut & ipſe ſit & alter, non aliquo diſcrimine ſeparatus; ſed ipſe idem & alius. Quod quoniam recuſat, & reſpicit, aſpernatúrque Natura, aut innumeros dicendum eſt, confitendúmque, eſſe Vulcanos, ſi in cunctis volumus eum degere, atque ineſſe ſimulacris: aut erit in nullo, quia eſſe diviſus natura prohibetur*

in

in plurimis. Egerit diſſertiſſimus Scriptor contra Gentes, ex eo principio, quòd unum corpus non poſſit eſſe in pluribus locis, & crediderit ipſe corpus Chriſti in Euchariſtia tot ſimul locis eſſe præſens? An exiſtimat Vir doctiſſimus, hæc etiam argumenta ab iis opponi infrunito & inſano poſſe Idolorum cultui, qui Transſubſtantiationem admittunt? Quin potiùs ex ipſis Patrum verbis evidentiſſimè colligimus, laudem magis, quàm pœnam mereri eos, qui ea ignorent numina, quæ milvi mures (ſuprà enim jam probavimus, & murium arroſionibus corpus transſubſtantiatum eſſe expoſitum) araneæ intelligunt? Quid vel *Minucius Felix*, vel *Lactantius* vel *Athanaſius*, vel cæteri Patres, Gentilium objecerunt ſtupori, in cultu arte factorum Numinum, quod Deo Panaceo Chriſtianorum, ſi tam abſurda tum hominum animis inſediſſet ſententia, non potuiſſet regeri? Aut, quid vel jam legimus in antiquiſſimorum Doctorum Elencho contra cultum Idolorum, cujus reatum ſubterfugere poſſint Transſubſtantiatores? Ubi Vir doctiſſimus; partium ſtudio valere juſſo; rem cum re, argumentum cum argumento contulerit, nobiſcum, ſpero, ſcapham appellabit ſcapham. Quid juvat Patrum in ore habere nomen, & tamen eorum monita, argumenta, etiam ubi rectè ſentiùnt, contemnere? Annon pudeat, aliorum ſive malitiâ, ſive ignorantiâ, ſi-
ve

ve conniventiâ factum,ut vetuſtiſſimorum Doctorum arma,craſſiſſimo olim oppoſita Gentiliſmo, jam Chriſtianorum ſuperſtitioni jugulum petant? Neque verò mirum,cùm nec ovum ovo,nec lac lacti,quàm Veteris Romæ Idololatria,hodiernæ *Artolatriæ* propiùs accedat. Sed nos iſtis diutiùs inhærere nolumus. Paganos mox ipſos audiemus,Patrum ore & more loquentes, Transſubſtantiationiſque abſurditatem iiſdem argumentis,quibus Gentilium olim in cultu Idolorum inſaniam perſtrinxerunt,arietantes.

III. Unum ergò atque alterum afferemus locum,à paucis hactenus obſervatum,& ex Scriptis adverſariorum vel publicis,vel fide dignis eruderatum: An fortè juſtiſſimis infidelium flecti Transſubſtantiationis Patroni mallent querelis, quàm modeſtis noſtratium ad ſaniorem revocari mentem Apologiis. Caveant, ne ab iis,qui vel ex ſolo lumine Naturæ animadvertunt tot abſurditatum lernam atque ſentinas,converti debeant in ruborem. *Regina Auſtri*,inquit Servator Matth. 12.42. *ſurget in judicio cum Gente iſta,& condemnabit eam: venerat à terminis terræ,ut audiret ſapientiam Solomonis,& ecce plus quàm Solomon eſt in hoc loco.* Surgent populi Aljamen, Auſtrales, Arabes Muhammedani cum Gente iſta,& condemnabunt eam,quod per id,quod de Deo cognoſci poteſt,quódque manifeſtum eſt in iis,*Rom.* 1.19.

re-

rectiùs de Deo naturáque tam divina, quàm humana ſentiunt, quàm ut vel gloriam incorruptibilis Dei, mutent in efformatam imaginem, non mortalis hominis, aut animalis; ſed buccellæ: vel naturam humanam in ſpectrum & phantaſma; vel benefactorem ſuum tam indignè excipiant. Abhorrent ergò *Muhummedani* à Transſubſtantiatione & orali manducatione, & ita quidem, ut apertè fateantur, per eam crudeliores hodie reddi Chriſtianos, quàm olim fuerint Judæi. *Ahmed* ben Edris, doctiſſimus quidam in Mauritania ante quingentos annos, Scriptor, in Tractatu ſuo contra Chriſtianos, & Judæos ita inter alia ſcribit: *Verba autem Iſa* (ſic Arabes Servatorem noſtrum vocant) *ſuper quo pax:* Qui edit carnem meam & bibit ſanguinem meum, ille in me eſt & ego in ipſo: ſum enim panis ille, qui deſcendi de cœlo, *Chriſtiani literaliter intelligunt. Atque ſic Chriſtiani atrociores ſunt in Chriſtum, quàm Judæi. Illi enim Chriſtum occiſum reliquerunt; hi carnem ejus edunt, & ſanguinem bibunt, quod, ipſa teſte experientia, truculentius eſt.* Ita Muhammedanus loquitur. Sed annon ferè ad mentem Apoſtoli? *Si judæi ſapientiam Dei latentem in myſterio cognoviſſent, nequaquam Dominum Gloriæ crucifixiſſent*; 1. *Cor.* 2. 8. Judæi Chriſtum, quem non noverant, cruci affixerunt, Chriſtiani eum, quem Mundi Servatorem, Domi-

minum Gloriæ agnoſcunt, quotidianæ tamen manducationi ſubjiciunt : eóque (liceat Muhammedani inſiſtere, argumentationi) truculentiores ſunt judæis.

IV. Sed & *Iudæi* ipſi ſacra illa, quibus Naturæ ordo prorſus invertitur, neque tamen miraculi ulla ratio reddi poteſt, abominantur. R. *Ioſeph Albo*, de Ikkarim, lib. 3. cap. 25. plus quàm trecentis poſt Berengarium annis de Transſubſtantiationis paradoxis ita ſcripſit : *Præterea, quòd dicunt de ſacrificio panis & vini, quòd ſit ſacrificium, res non ita habet. Nam panis eſt corpus Dei ipſorum. Ajunt enim, corpus Ieſu, quod eſt in cœlis, venire in altare, & veſtiri pane & vino, poſt pronuntiata verba* (Hoc enim eſt corpus meum) *à ſacrificulo, qualiscunque ille demum fuerit, ſive pius, ſive impius, & omnia fieri corpus unum cum corpore Meſſiæ, deſcendentis è cœlo in inſtanti, & poſt comeſtionem & bibitionem reverti in cœlum, in locum ſuum. Et hæc fieri in omnibus altaribus. Hæc eſt ipſorum ſententia de ſacrificio iſto. Talis verò iſta res eſt, quam intellectus humanus capere nequit, neque ſibi imaginari. Repugnant enim hic omnia Intelligibilibus primis, & ipſis etiam ſenſibus. Neceſſe enim eſt*, ut *credatur, ſic motum fieri abſque tempore, ab ultima cœlorum diſtantia, & à ſolio gloriæ Dei in terram uſque.* Deinde *corpus unum ſimul eſſe in pluribus locis.*

cor-

Digitized by Google

corpus enim Meſſia, juxta ipſos, exiſtit in altaribus pluribus diverſis, uno & eodem tempore. Tertiò *aſcendere & deſcendere corpus Meſſia, quin tamen dilacerentur cœli, quia cœli non admittunt ejusmodi dilacerationem.* Quartò, *quia dicunt carnem & ſanguinem, qui nunc fit ex ſubſtantia panis & vini, qua finita ſunt & determinata, eſſe illud ipſum corpus Chriſti, quod olim fuit, neque tamen illud vel augeri vel diminui à quantitate ſua; ex quo conſequitur penetratio corporum hujus in illud. Omnia hac & intellectui & ſenſui repugnant. Dicunt enim, panem & vinum, qua videntur oculis, non eſſe cibum, neque nutrire vivens aliquod, vel hominem comedentem illud. Nos verò videmus, panem illum & vinum, ſi in magna quantitate eſſent, omnino nutritura hominem comedentem, & in membrorum nutrimentum ceſſura, ſicut alius panis & vinum. Praterea dicunt, ſubſtantiam panis & vini converti in corpus Chriſti, & remanere tantùm accidentia, in ſeipſis ſubſiſtentia, non in ſubjecto, neque ſaporem, colorem, tactū, gravitatem, mollitiem, duritiem, qua adhuc in pane deprehendimus, eſſe in pane. Corpus enim tranſire in corpus Chriſti. Omnia iſta talia ſunt, qua mens non poteſt concipere, neque os eloqui, neque auris audire.* Judæi verba ſunt, fateor, adeóque jurati & infenſiſſimi Chriſtianorum hoſtis; vera tamen ſunt, non quia judæi, ſed

ſed quia hominis, rationabiliter ex Natura, de Naturalibus, judicantis. Non heic; quis dicat, ſed quid dicatur, ex trito Orientis proverbio, attendendum eſt. Qui *fidem rationi* opponit; fidei fundamentum oſtendat, revelationem divinam, qua ſine fruſtra creditur, quod credere nemo jubetur. Non deerunt fidei ſua exercitia, etſi ſponte natæ, & rancidæ, malè informatæ rationis, παραιτεῖσθαι non accedant. Neque ratione caret, quòd rationi, in examine corporis ſui Naturalis, locum etiam dulciſſimus Servator reliquit. Præviderat malitiam hominum, qui, in *carnem veniſſe* Eum, perverſè eſſent negaturi, in carne paſſum, præfractè inficiaturi (ſicut etiam num Muhammediſmus pro veterum Cerinthianorum, Baſilidianorum delirio οὐχὶ Ἰησοῦν πεπονθέναι, *Ieſum non paſſum*, tanquam pro aris & focis certant) in ταμιεῖα, conclavia, Ciboria, ſine quantitate & mole revocaturi; qui certè errores omnes etiamnum feliciùs & faciliùs dilui à nobis non poterunt, quàm ſi iis utamur argumentis, quibus Chriſtum uſum eſſe, jam diximus. Ne ſit diſcipulus ſupra Magiſtrum: neque ubi ſummus Doctor præſcribit regulas generales, diſcipulorum eſt fingere exceptiones. Aut quod, quæſo, hîc excipiamus corpus Chriſti? An illud, quod reſurrexit? *Nec eos audiamus*, inquit Auguſtin. lib. de agon. Chriſtiano, cap. 24. *qui negant tale corpus Domini re-*

P *ſur-*

ſurrexiſſe;quale poſitum eſt in monumento: Si enim tale non fuiſſet,non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis : Palpate & videte,quoniam Spiritus carnem & oſſa non habet,ſicut me videtis habere. An illud,quod aſcendit in cœlos? *Nec eos audiamus, qui negant ipſum corpus ſecum levâſſe in cœlum, Dominum noſtrum,*ut cum eodem loquamur cap. 25. Si ergò nullum, ne glorioſum quidem Chriſti corpus excipi debet à veris veri corporis proprietatibus, ecquod tandem reſtat ; quod Adverſariorum corpori transſubſtantiato inviſibili reſpondeat? Aut quid periculoſis ejusmodi ſuffugiis & exceptionibus obtinebunt ? Materiam præbebunt infidelibus , Chriſto & Chriſtianorum ſacris impiè inſultandi,profano ea ludibrio exponendi. Cum mœrore referimus,in omnes occaſiones intentos Judæos,novo hoc Transſubſtantiationis dogmate ita irritari, ut Chriſtum,convitiis gravioribus laceſſant, imò ad cruciandum eum, torquendum,transfodiendum,quantum in ipſis eſt, blaſphemis conſiliis conſpirent. Transſubſtantiationis, hæc inſolentia maledicta, fructus eſt. Cùm enim Hoſtias conſecratas,judæorúmque ære redemtas corpus Chriſti & vocent, & eſſe velint, cur miremur,gentem reprobam nec dum Meſſiæ ſanguine ſatiatam ? Nolumus hic de noſtro quicquam largiri, eos audiemus,qui ante reſtauratum bellum Sacramenta-

riu m

rium vixerunt, devotiſſima Pontificis Romani mancipia. Exempla quædam enarrat Johannes, *Monachus Vitoduranus*. Unum, ex Scriptore hactenus nunquam edito, referam, quod (pag. m: 47.) ita habet: *Poſthac quidam, ſolo nomine Chriſticola, re autem hæreticus peſſimus, imò Iudæ mercatoris maligniſſimi veriſſimus imitator*, corpus Dominicum; *ab eo de Eccleſia ſancti Pauli Civitatis Conſtantienſis ſublatum, Iudæis ille vendidit*, ut ludibrio, quo vellent, haberent, *quod dum ſub multis hoſtiis junctum, paſtæ* in frixorio confrixum eſſet, & adhuc continuè in eo adureretur (ita de corpore Ghriſti loquitur cõtemptibiliter, *& Ancilla Iudæorum Chriſtiãa ei appropinquaret, mox in eã ſiliens ſuo brachio adhæſit, quod videns quidã ex Iudæis aſtantibus, illicò abſtraxit, & in locum priſtinum rejecit. Ancilla verò rem tacita animadvertens, & in vicum & plateas exiens, importunis vocibus lamentabiliter, valentérque acclamavit dicens*: Corpus Chriſti horribiliter à Judæis torquetur. *Eadem hora Plebanus Eccleſiæ ſancti Pauli, cui hoſtiæ conſecratæ ablatæ & furatæ fuerant, horribiliùs ſucclamabat*, dicens: Heu mihi! quia plures oblatæ Corporis Chriſti conſecratæ de altari ſublatæ ſunt! *Quod audientes cives Conſtantienſes turmatim concurrerunt, & ulciſci Dei ſui injuriam, & contumeliam illatam à Iudæis conantes, plures Iudæos*

in inſania, & furore magno deprehendentes in ſcelere necaverunt.

V. Irritantur & *Gentes* ad idem deſignandum facinus, prout ex *eodē* (p. 45.) conſtat *Vitodurano*, Rhutenos, quos *Paganos* vocat, Marchionatum Brandenburgicum *invaſiſſe, Eccleſias diruiſſe, altaria deſtruxiſſe,* & (retineo authoris verba) *quod execrabile dictu,* corpus Chriſti in ſcriniis ſuper aris reconditum *ſuſtuliſſe, eique lanceas ſuas infixiſſe, blaſphemando dicentes : Ecce* Deus Chriſtianorum, in nullo ſe defendere valens! Quod Deus diſſimulavit. *Si autem eos plaga crudeli percuſſiſſet, ipſos & ſuos poſteros forſitan convertiſſet, & judicio meo diſciplinæ & fidei Catholicæ non modicum profuiſſet.* Crevit & opprobrium in Chriſtianos, & deſiderium vindicandæ injuriæ, occaſione Elementorum Sacramentalium veneno infectorum. Horrendum fuit facinus Monachi illius, qui hoc ſupplicio è medio ſuſtulit *Henricum* VII. Imperatorem Romanorum, cui Tragœdiæ à ſe (pag. 33.) commemoratæ Scriptor noſter domeſticus ſequentia ſubjicit. *Hic* (Imperator) *erat regula juſtitiæ, ſumma Legis, Lux Eccleſiæ, fidei immobilis columna, inſolentium ſilentium, lima correctionis, Zelator præcipuus veritatis, fidelis in commiſſis, conſtans in promiſſis, amator ſedulus latriæ, norma temperantiæ, caſtitatis ſpeculum, liberalitatis exemplum, forma juſtitiæ, defen-*

ſenſor & patronus pauperum, imitator egregius Evangelicæ doctrinæ. Hic talis & tantus, quod cum maxima cordis mei amaritudine loquor, veneno necatur; quod heu Chriſtianæ diſciplinæ ruina & plaga pernicioſiſſima fuit! Nam maximè ei derogavit, quod in altiſſimo Sacramento religionis Catholicæ homo tantæ ſupereminentiæ interemtus eſt. Nam ubi in noſtris temporibus affluentiſſimè vernat fides credentium, & in Sacramento, in quo maximè dependet devotio modernorum, ibi nefandiſſimum ſcelus perpetratum eſt, ſcandalum etiam perpetuò duraturum, quod infidelibus nauſeam & diſplicentiam generavit noſtræ profeſſionis, imò inſultant nobis per hoc, dicentes: *Si illa ſpecies, quam ſumunt, & reverentur Chriſtiani, Deus eſſet, tam horribile & execrabile facinus ſua in ſpecie & participatione fieri nullatenus permiſiſſet.* Quantum Chriſtianiſmus à ſe mutatus! Solebant veteres Chriſtiani; poterant etiam, ab Artolatria liberi; Gentilibus exprobrare ſtuporem, quòd, ceu Numina colerent, quæ & à muribus læderentur, & ab avibus calcarentur: jam, verſo ſtylo, Chriſtiani à Gentilibus eandem expectent reprehenſionem? Hoccine eſt Antiquitatis religioſè inſiſtere veſtigiis? Pergit author & deplorat ſortem Chriſtianiſmi. *Et quia*, inquit, *taliter nobis inſultant, judicio humano, & ſenſuum meorum, compellor dicere,*

& exclamare, dicens: O Domine, quare ſi non juſtè, vel ſi ob aliquam cauſam, Tibi ſoli notam, ſinere voluiſti, quod eſt in tam grande judicium & detrimentum fidei ? Quare ergò, ſecundùm verbum ſapientis, non innovâſti ſigna tua, & immutâſti Tua mirabilia, ad demonſtrandum potentiam dexteræ Tuæ, & adfirmandam plebis fidem, ſicut cæcum à nativitate illuminare voluiſti, ad manifeſtandam gloriam Tuam &c. Sed fruſtra à Deo exigitur, quod ab eo nunquam fuit promiſſum. Non rejicit nos Spiritus ſanctus ad miracula; ſed ad voluntatem revelatam, ad Scripturā. Qui alio incedunt Canone, qui miracula quotidiana expetunt, tentant Deum, digni proinde, quibus reſpondeat Moſes: *Quid contenditis mecum, quid tentatis Iehovam?* Exod. 17.2. Et Deut. 6:16. *Ne tentate Iehovam Deum veſtrum,* (in Miſſa) *quemadmodum tentârunt Iſraëlitæ* in Maſſa. Camaræorum, Baalitarum eſt, ejulando, lancinando, ſauciando pulſare cælum ferreum, & ea fatigare Numina, quibus nec vox eſt, nec reſponſio, 1. *Reg.* 18. 26. 28. Sed de his alibi. Quid, quòd Magorum & maleficarum etiam libidini inſervire debuiſſe corpus Dominicum, diffiteri non audent? Id quod tum ex eodem Authore (p. m. 48. a.) tum aliis etiam documentis probatu eſſet proclive, niſi brevitatis majorem, quàm prolixæ demonſtrationis habere rationem conſtituiſſemus.

V. Ri-

VI. Rimam, quærunt, ſcio: Sed vix elabentur. Ab omni dedecore; inquiunt; incommodo, vi & violentia Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe liberum, immortale eſſe: & in gloria. Nihil proinde vel ſomniandum, quod lædere illud quocunque modo poſſet. Sic illi quidem excipiunt; ſed magno ſuo diſpendio. Sacra Scriptura nobis in Cæna nullum aliud proponit corpus, quàm fractum; nullum alium ſanguinem oſtendit, quàm effuſum. *Hoc*; inquit Chriſtus; *eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*; (*de frangendo & paſſibili loquitur corpore*) *hic ſanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Aliud igitur corpus ſuæ deſtinant Miſſæ Pontificii, aliud diſcipulis tradidit Chriſtus. Hoc mortale fuit, & παθητὸν; illud immortale & ἀπαθὲς. Sed & obœſiorum narium ſumus, craſſiore ſub aëre nati, quàm qui capiamus, in corpus Chriſti agi, non tamen illud pati; corpus frangi, nec tamen minui; carnem verè comedi, in ventrem trajici, in ſtomacho morari; ſed ſine ulla mutatione, paſſione, diminutione. Hæc, & ſi quæ ſunt alia, ſummo Deo indigna, doctiſſimi Viri ſolicitæ ſubjicimus cenſuræ, an vel pia cogitatione poſſint comprehendi, vel devota religioſáque fide credi, vel denique cum verbo Dei conciliari?

VII. Promiſſis, ut ſpero, pro virili ſtetimus: oſtendimus, doctrinam, quam Reformatæ per

Helvetiam Eccleſiæ,adeóque & Tigurina,pro-fitentur, Verbo Dei,traditioni Dominicæ,& authoritati Evangelicæ non modò eſſe congruam; ſed & Antiquitatis ſuffragio, ſanæque rationis calculo approbatam: Eam contrà,quæ, de Transſubſtantiatione,paulatim in Eccleſiam irrepſit,ſententiam è diametro & Scripturæ repugnare,& Analogiæ,fidei,& ſanæ rationi; adeò denique incertam,perplexam,eſſe dubiam (dubia certè ultra trecenta de Euchariſtia proponit author expoſitionis Evangeliorum,editæ à F. *Antonio de Gislandis, de Laveno Inquiſitore*, Lugd a. ch. 158. Dominica Palmar. pag. 133. Nec *Peſantius* in dubiorum ſive propoſitione, ſive ſolutione alio,quàm *putandi* verbo utitur) ſcandalíque plenam,ut nomen etiam Chriſti & Chriſtianiſmi ab infidelibus propterea indigniſſimè traducatur & blaſphemetur. Ordo jam ad reliqua,quæ ad totius Sacramenti Cœnæ Dominicæ myſterium pertinent, nos ferret; ſed malumus, hoc congreſſu infirmitatem cauſæ, quam vir doctiſſimus ſuſcepit defendendam,oſtendere,quàm novam ordiri telam. Non exiſtimo,ignotum V.d. eſſe Apologum,de malo irritatione aucto. *Solebant in oppido quodam de certis catibus excludi omnes vitiati, quacunque corporis parte, erántque conſtituti, qui de illorum (ſi qui fortè obrepſiſſe comperirentur) ſingulis vitiis ſingulos nummos exigerent. Hi ali-*

liquando, claudo conſpecto, cùm exigerent ab eo nummum, & renitentem invaderent, ſcabiem etiam in eo deprehendunt. Ergò poſtulant jam nummos duos. Etiam tunc illo refragante, apparet; lippitudo oculorum. Tum iſti, jam tres dabis nummos, inquiunt. Ego ne? inquit ille. Pugnabo potiùs. In lucta igitur ea apparet hernia quoque. Tum exegere tandem nummos quatuor ab eo, qui ſe uno liberare potuiſſet. De verbis Inſtitutionis primaria inter Tigurinos & doctiſſimum Virum erat controverſia: ne hanc quidem Adverſarii noſtris dare volunt aut largiri. Quid ſi, quod evidenter hactenus ex *Scriptura* potiſſimùm, *Fidei Analogia*, & *Antiquitate* de explicatione verborum probavimus, eoſdem in tota etiam actione Euchariſtica, ab exemplo Chriſti, & Praxi Apoſtolica recedere, diceremus: nihil diceremus quod vel probatu eſſet operoſum, vel ab inſtituto noſtro alienum. Unius morbi nolunt agnoſcere malum, & ecce totum corpus à calce ad caput laborat. Nos, Servatoris exemplo, in celebratione Cœnæ retinemus uſum Linguæ vernaculæ, non illi. Nos, Chriſti authoritate porrigimus communicantibus utrumque elementum, panem & vinum; non illi, &c. Verùm, quod polliciti ſumus, nolumus hac vice prolixitate nimia Lectori afferre tædium. Satis ſit, luce meridiana clariùs patere, noſtræ ſententiæ nihil non patrocinari. Et Scri-

pturam, & fidei analogiam, & Antiquitatem &c. nobiſcum facere. Viri contrà doctiſſimi ſupellectilem ita eſſe curtam, ut ne unum quidem, ex univerſo Codice ſacro, proferre poſſit locum, nullum producere argumentum, quo vel verba inſtitutionis Cœnæ Dominicæ propriè, crudè, & ſecundum literam, vel Caput Johannis 6. de manducatione corporis Tranſſubſtantiati, eſſe intelligenda, ſolidè demonſtret. Hæc aureola noſtra eſt; hæc palma, quam tam diu ſartam tectam retinebimus, donec & contrarium authoritate Scripturæ fuerit aſſertum, & argumenta noſtra, ea maximè, quæ ex natura Sacramentorum ſunt petita, fuerint refutata. Si quid, hinc inde tantùm, Vir doctiſſimus deinceps vellicârit, & non, quod nos in examine articuli primi, adeóque primariæ controverſiæ, religioſè præſtitimus, veſtigia noſtra legerit, ne noſtram quidem cauſam agi exiſtimabimus: bonas horas, meliùs, quàm continuæ ſerræ huius reciprocationi impenſuri, aliis deſtinabimus meditationibus.

VIII. Cæteri jam ordine articuli excutiendi reſtarent: Sed quando conſultius longè viſum fuit, primarium de ſenſu verborum Domini Thema à cæteris (quæ adventitia ſunt, & de circumſtantiis potiùs quibuſdam agunt, quàm de ſubſtantia rei; vindicias quorundam allegato-

rum

rum, concernunt, fundamentum controverſiæ Sacramentariæ non concutiunt ;ſecernere,)pedem hîc ſiſtemus. Ita enim & doctiſſimi Viri,& cujuslibet Lectoris occupationibus gratificaturi, moderata & mediocria examinis,cenſuræ,præmittimus penſa ; cæterorum, ſuo tempore, curam non abjecturi. Si nihil ſuperſit doctiſſimo Diſceptatori, quod dogma ei Transſubſtantiationis commendet,quàm quod ſequentibus adhuc aliquot propoſuit articulis, bene ſperet; hunc, ſine magno negotio, obicem, bono cum Deo, removebimus,perſpicuè monſtraturi,non plus in receſſu difficultates illas omnes habere, quàm frontiſpicium præ ſe ferat. Nihil enim doctiſſimi Viri oſtendunt exceptiones,quod non vel ex *Bellarmino*,aliiſque mutuatum Theologis,ſexcenties jam à noſtris refutatum ſit ; vel quod noſtram ſententiam vel leviter ſtringat ; vel quod Transſubſtantiationi laboranti opem ferre poſſit. Sæpe noſter eſt doctiſſimus Vir,cùm maximè repugnare videtur ; ſæpe Tigurinorum mentem vel non aſſequitur,vel incommodè exprimit; ſæpe Patribus,Patrúmque luculentiſſimis verbis inſolitum affingit ſenſum: Sæpiſſimè, de Patrum explicatione ſolicitus, planè extra oleas vagatur, & ne tum quidem, cùm, quod intendit obtinet,nocet. Nuſpiam in tota diſceptatione id video agi,ut cauſæ hinc Reformatorũ periculũ imineat: .Nolumus eſſe polli-

ci-

citis, divites; ex unius tamen adhuc articuli curſoria cenſura, vel ipſe argumentorum ſuorum aut exceptionum æſtimet robur. Fruſtra certè initio Artic. 2. Vir doctiſſimus timet, *Reformatis verba* Johannis 6. à verſ. 48. *valde eſſe contraria*. Fuſè enim contrarium ſuprà oſtendimus. Imprudenter, Tigurinorum, qui, ex *Auguſtino* & *Gratiano*, perſpicuis docuerunt verbis, Credere & manducare eſſe æquipollentia, ſententiam, refutaturus, eandem per multas ambagis tandem confirmat potiùs, quàm elevat. Evidentiſſimè enim, quod & nos volumus, Chriſti & Auguſtini verbis condocefacit, *Credere* eſſe *edere*. Verba Viri doctiſſimi clara ſunt, nullius proinde plenioris deductionis indiga. Sed prorſus ἀθεόλογον eſt, quòd, conceſſo, *credere*, ex mente Chriſti, idem eſſe, quod *edere*, negat tamen, illud quicquam *pertinere ad manducationem Spiritualem corporis Chriſti; ſed ad fidem ſolam in Chriſtum:* Quaſi vel ulla detur alia manducatio Spiritualis, quàm quæ fit per fidem; aut organum illud, quo Chriſtum ita edimus, aliud ſit, quàm fides. Ignoſcat Vir doctiſſimus, ſi ſuſpicer, hæc ex officina Theologica non prodiiſſe. Ex *Aenea Sylvio* ſuprà palàm fecimus, *Spiritualem manducationem eſſe, qua ſalvandi utuntur, incarnationem, paſſionémque Domini pia & aſſidua meditatione recolentes*. Hæc verò nonne eſt fidei? *Quid eſt manducare Spiritua-*

tualiter(quærit Angel.deClavas.in Summ.voce Euchariſtiæ) *& reſpondet,ſecundum Bonaventuram in 4. diſt. 9. quòd manducatio Spiritualiter tranſlata ſit à corporalibus; adeò ut quemadmodum in manducatione corporali ſint duo principaliter,ſcilicet maſticatio & incorporatio; ſic & in Spirituali duo ſint, recogitatio per fidem,ſed carnis Chriſti pro nobis expoſita in precium,in cruce,ad redimendum,& Spiritualis incorporatio per Charitatem. Quomodo Chriſti corpus Spiritualiter eſt accipiendum,* ex Dec. P.III. de Conſec. diſt.2. C. 59. quærere poſſumus? & ex textu reſpondere: *Credere in Ieſum Chriſtum,hoc eſt manducare panem vivum. Qui credit in eum; manducat.* Hanc manducationem & nos quoque Spiritualem vocamus; hanc fidei tribuimus,non verò, quod novo planè & ipſis Theologis Scholaſticis inuſitato exemplo, molitur Vir doctiſſimus, fidei opponimus. Quemadmodum ergò Vir doctiſſimus totus in eo eſt,articulo ſecundo,quod & operoſè probat; ut *credere* & *edere* carnem Chriſti aliquando eſſe æquipollentia,oſtendat; ita ab Eccleſiæ Romanæ hypotheſi longè recedit; quando ea,quæ à verſ.27. Johannis 6. ad verſ.48. extant, non negat pertinere ad fidem in Chriſtum,inficiatur tamen,pertinere ad manducationem Spiritualem corporis Chriſti,aut in Sacramento,aut extra Sacramentum. Quod re-

vera

vera aliud nihil eſt, quàm dicere, hominem eſſe animal rationale, rationem tamen ad hominem non pertinere.

IX. Neque feliciùs diſputat Articulo III. Demus, *Auguſtinum* verba, Joh. 6. verſ. 42. explicare de juſtitia Dei, ſive de juſtitia divina, ex gratia nobis imputata; num propterea ex loco illo Tigurini vitioſè concludunt: Credere in Chriſtum, & manducare panem vivum æquipollere? Imò diſertiſſima ſunt Auguſtini verba Tractat. 26. in Johannem: *Daturus ergò Dominus Spiritum ſanctum dixit, ſe panem, qui de cælo deſcendit, hortans, ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc eſt manducare panem vivum.* Sive jam de Euchariſtia ex profeſſo agat, ſive non agat, Auguſtinus nihil refert: Satis eſt, Tigurinos evidenti ejus aſſenſu probâſſe, Credere in Chriſtum, eſſe manducare panem vivum, cœleſtem. Conſentiunt optimæ & recentiſſimæ Decretorum editiones, Dec. P. 2. II. de Conſec. d. 2. C. 47. rubrica eſt: *Credere in Chriſtum, eſt manducare & bibere Chriſtum:* Textus verò: *Vt quid paras dentem* &c. De cæteris nos diſputare non eſt neceſſe. De Baptiſmo hoc loco agi, planè impertinens eſt. Ne apex quidem inſolitæ hujus explicationis occurrit, quam proinde Eccleſiæ Romanæ Theologi, qui de Spirituali manducatione locum explicant, non viderunt, etſi ἔξοχοι ἄλλων. Qui Auguſtini ver-

verba de Baptiſmo accipiunt,graviſſimum authorem imperitè torquent. *Qui credit in eum*, inquit,*manducat,inviſibiliter ſaginatur*, *quia inviſibiliter renaſcitur.: Infans intus eſt, novus intus eſt ; ubi novellatur,ibi ſatiatur.* Comparat Auguſtinus inter ſe Spiritualem manducationem, cum Spirituali generatione. Utramque ait fieri inviſibiliter ; utramque ad idem numero Subjectum poſſe referri. Illum, qui intus,qui regeneratus, qui inviſibiliter novellatus eſt ; inviſibiliter etiam ſatiari. Verbo, utriuſque Sacramenti legitimum uſum in Spirituali conſiſtere participatione. Hæc ſponte fluunt,illa obtorto rapiuntur collo. Gratianum (qui in vulgatis exemplaribus, pro *panem vivum*,legit, *panem & vinum* ; illa tamen lectio, emendata ex pleriſque vetuſtis codicibus,in noſtra habetur editione Lugdunens; 1606.) vapulare Viro doctiſſimo,noſtrâ nihil intereſt. Ipſi operam dent,ut maximæ in Scholis Pontificiis authoritatis Scriptorem ita deinceps effingant, ne tot, quæ ubique in Scriptis adverſariorum ſunt obviæ,vel negligentiæ vel malæ fidei objici illi debeant nævi. Si verò locus, prout apud Gratianum extat,*Credere in eum,eſſe manducare panem & vinum*,clariſſimè pertineat ad Euchariſtiam ; cur ergo in Euchariſtia ſua atque Synaxi utrumque Elementum, panem & vinum Pontificii non retinent ?

Ita

Ita vero ſequeretur, (inquit Vir doctiſſimus) *non ſolùm manducari, per fidem, corpus & ſanguinem Chriſti; ſed & panem & vinum.* Omnino ſequitur. In legitimo enim Cœnæ uſu, hæc duo indivulſo nexu fidelibus exhibentur, elementa externa; panis videlicet & vinum, res terreſtris; & corpus Chriſti, res cœleſtis. Atque hoc ex præſenti capite neceſſariò ſequi, veſtrorum ſuprà Theologorum authoritate oſtendimus. Digna ſunt verba quæ, mutuata ab *Auguſt.* in lib. ſentent. Proſp. ex *Decreti* P. III. de Conſec. d. 2. cap. 48. doctiſſimo Viro ſcrupulum eximant: *Hoc eſt, quod dicimus: Hoc modis omnibus adprobare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſia duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, Sacramento & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti: ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur Deo & homine: cùm ipſe Chriſtus verus ſit Deus, & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam, & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacrificium Eccleſia Sacramento, & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Eſt igitur Sacramentum, & res Sacramenti, id eſt corpus Chriſti.* Item (addam cætera, quia hic unicus textus totam de Cœno Domini ſententiam ex mente Reformatorum commodè explicat) *Caro ejus eſt, quam forma*

forma panis opertam, in Sacramento accipimus, & ſanguis ejus, quem ſub vini ſpecie, & ſapore potamus. Caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis: carne & ſanguine, utroque inviſibili, intelligibili, Spirituali ſignificatur viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum, & divina majeſtate. Item: *Sicut ergò cæleſtis panis, qui verè Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti; cùm revera ſit Sacramentum corporis Chriſti; illius videlicet, quod viſibile, palpabile, mortale, in cruce eſt ſuſpenſum; vocatúrque ipſa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio; ſic Sacramentum fidei, quod Baptiſmus intelligitur, fides eſt.* Emphatica ſatis omnia ſunt, claréque docent; 1. Manducationem Sacramentalem, & Sacramenta, ſive elementa, requirere, & rem Sacramenti. 2. Carne & ſanguine inviſibili, viſibile & palpabile ſignificari Chriſti corpus. 3. Panem cæleſtem, modo ſuo, id eſt Sacramentali (quis enim alius Sacramentorum modus?) vocari Chriſti corpus. 4. Id, quod vocatur Chriſti corpus, ejus tantùm eſſe Sacramentum, ſymbolum, ſignum. 5. Eadem ratione baptiſmum vocari fidem, quâ immolatio Sacerdotis repræſentativa, vocetur Chriſti paſſio &c. ſignificante nempe myſterio. *Panem* autem *&*

vinum mera, id eſt, vacua & inania *ſigna eſſe, juxta Tigurinos*, ſuprà jam, ne quiſquam hac nos oneraret injuria, modeſtè ſumus deprecati. Qui ex infirmitate hactenus vel inſcitia tam craſſum nobis impegerunt errorem, illis ignoſcat Deus: qui verò, contra ſcientiam & conſcientiam, Eccleſias reformatas, calumniis onerare pergent, eos, dubio procul, graviſſima tandem calumniatorum manebit pœna, ἀκοίμητον καὶ ἔκδικον θεοῦ ὄμμα, *dormire neſcius atque vindex Dei oculus*. Certis, etſi tacitis vindicta Dei ſequetur pedibus. *Sed ita, credendo in eum ſimpliciter, manducaremus corpus & ſanguinem ejus, & præterea panem & vinum: quo pacto nihil eſſet opus pane & vino.* Credendo in Chriſtum, manducari Chriſtum, ne quidem controverti ampliùs debet. Habemus authorem ipſum Chriſtum, Interpretes Patres, conſentientem Eccleſiam Romanam: Quid igitur in hoc ſcirpo quæramus nodum? *Nec tamen propterea elementorum uſus inanis eſt, aut ſuperfluus.* Utramque Chriſtus manducationem urget; Myſticam, ſive Spiritualem, quæ fit abſque ſymbolis, ſola fide, *Ioh.* 6. Sacramentalem verò, quæ ſymbola requirit, & de qua *Matthæus, Marcus, Lucas*, & *Paulus*; in Inſtitutione Cœnæ Dominicæ; agunt. Regeneratio opus eſt ſolius Spiritus ſancti. Qui per Sp. S. non fuerit regenitus, non ingredietur regnum cœlorum, *Ioh.* 3. 5.

Ne-

Neque tamen propterea baptiſmus, lavacrum regeneratiõis eſſe deſinit, Non eſt aliquid qui rigat, nec qui plantat ; ſed ille tantùm, qui dat incrementum : Num verò nec plantandum, nec rigandum? Summæ & execrandæ ingratitudinis in Deum fuligine ſe aſpergunt, qui eximiam & planè paternam Chriſti pro ſalute noſtra curam, in utriuſque manducationis mandato, heic non agnoſcunt. Ne externis, quæ non ſemper præſtò ſunt, ſymbolis ſalutem animarum Chriſtus alligaret, myſticam, ubi, abſque culpa contemtus, alia haberi non poteſt, vera fide peractam, ſufficere oſtendit. Iterum, ut in ordinaria Evangelii diſpenſatione infirmitatem noſtram juvaret, fidem nutantem corroboraret, captui ſe noſtro accommodaret, promiſſionibus ſuis ſigna addidit, & ſigilla, & ea quidem, quæ in ſenſus noſtros incurrunt. Hæc Deus conjunxit, cur nos illa ſepararemus? Subordinata non pugnare, vel Dialecticæ Scholæ nos docent. Repetat doctiſſimus Vir, quæ ſuprà, de manducatione myſtica & Sacramentali pleniùs diſſeruimus. Sed ita, *fides & Sacramentum Euchariſtiæ res erit eadem*? Inanis, hujus confuſionis, eſt metus! Id tantùm ſequitur, fidem, aptum & idoneum recipiendi & manducandi corporis Chriſti, eſſe organum. Eſſe os Spirituale, quod rem Sacramenti percipit. *Manducationem dari Spiritualem ſive myſticam*, tam *in Sacramen-*

to, quàm extra Sacramentum, conſtanter affirmamus; non, quòd Spiritualis & Sacramentalis, per omnia, eadem ſit, ſed quia hæc illam includat, & omnis quidem digna manducatio Sacramentalis neceſſariò etiam eſſe debet Spiritualis: at non vice verſâ. Sacramentalis enim manducationis materia duplex eſt, elementaris & cœleſtis; myſticæ una tantùm, cœleſtis. Myſtica neceſſitatem *medii* habet; Sacramentalis *præcepti*. *Ergò non opus eſt hanc facere in Sacramento*, inquit Vir doctiſſimus. Suo alius credat periculo; Nobis ex ſacra Scriptura mandatum Dominicum non eſt ignotum. Hoc, quod ego feci; *facite in mei recordationem* Luc. 22. verſ. 19. Mandatum igitur Domini geminum, ad geminam nos manducationem; tam *Sacramentalem*, quàm *myſticam*; obſtringit. Quod quidem diſcrimem, de quo ſupra fuſiùs, miror doctiſſimum Virum non ſatis aſſequi. Breviter, *hac* manducatio omnibus Chriſtianis imperatur, omni loco & tempore; *illa* iis tantùm, qui ſe probare poſſunt in legitimo cœnæ uſu. *Illa*, & ſignum & rem ſignatam ambitu ſuo comprehendit; *hac* rem ſignatam tantùm. *Hac* privatim fieri poteſt, domi, belli, ruri, in remotiſſimis & inhoſpitis teſquis; *illa* in cætu, & ſynaxi publica ordinariè peragi ſolet. *Hanc* Chriſtus injungit Joh. cap. 6. *Illā* præcipit in Evangelio, in inſtitutione Cœnæ ſuæ. Nulla etiam

hinc

hinc metuenda *contrarietas*, etſi & *Auguſtinum & Gratianum intelligamus de manducatione Spirituali*, quæ in ipſo quoque Sacramento alia eſſe non debet, ſymbolorum licèt fulcimentis ſit ſtipata. Lectio proinde Gratiani varia nec adverſarios juvat, nec nobis incommodat. Illud utrinque in confeſſo eſt, Gratianum, ex Auguſtino, rectè legere : *Vt quid paras dentes & ventrem ? Crede & manducaſti.* Adeóque manducationem, de qua Chriſtus Joh. 6. rectè, ex mente Auguſtini, & Gratiani, ad fidem referri, quæ cum orali manducatione, quam Chriſtus penitus, diſputatione ſua luculenta, tollit, nihil habeat commune. Concedere, *Iohannis 6. agi de manducatione atque ſaginatione inviſibili fidei, juſtitia, gratia, Charitatis*; & negare, *de ulla ibidem ſermonem eſſe manducatione Chriſti*; eſt neſcire, quid ſit Chriſtum Spiritualiter, & vera fide manducare. Qui credendo, etiam in legitimo Sacramenti uſu, Chriſtum manducant, non corporis tantùm ejus Sacramento tenus & ſymbolicè fiunt participes; ſed omnium Chriſti meritorum, adeóque & juſtitiæ illius, gratiæ, Spiritus ſancti, quorum *Auguſtinus* meminit; de quibus ſupra Sect. 9. prolixius diſſeruimus. *Qui manducat carnem meam* (iterum recito verba *Auguſtini* ex Gratiano de Conſec. d. 2. C. 59.) *& meum bibit ſanguinem, habet vitam aternam. Participatione enim filii*

(quod eſt per unitatem corporis Chriſti & ſanguinis) homo manducans vivit, non ſumens tantùm in Sacramento (quod & mali faciunt) ſed uſque ad Spiritus participationem, ut in corpore Domini tanquam membrum maneat, & ejus Spiritu vegetetur, quod eſt, dum ejus mandata ſervat. Hanc diſertiùs Spiritualium donorum communionem Apoſtolus exprimit, quando ait: Chriſtum nobis factum ſapientiam à Deo, juſtitiam, ſanctificationem, redemtionem; 1. *Cor.* 1. 30. Manet ergò Tigurinorum theſis & ſcopus, ex *Auguſtini* Tract. 25. & 26. in Johannem, quòd non, ubicunque mentio fit manducationis corporis Chriſti, neceſſariò debeat intelligi oralis. Sive enim de Chriſto loquatur Auguſtinus, ſive de merito & theſauris per mortem ejus acquiſitis; illud ſemper extra controverſiæ aleam erit poſitum, *edendi* vocabulum impropriè ſumi, & Spiritualiter: manducationem notare myſticam & Spiritualem corporis Chriſti, quæ fiat corde credendo, non dente premendo: Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. *Nónne igitur* (ut doctiſſimo Viro ſua reponamus verba,) *id quod res eſt, profiteri praſtat, & tam clara Chriſti, apud Iohannem, verba cap. 6. intelligere, ſicuti per ſe ſatis intelliguntur, à* v. 48. non *de* manducatione futura *Euchariſtia mox inſtituenda* (cur enim illud fieri non poſſit, ſuo loco, Sect. 9. ipſis adverſariorum argumentis evicimus) ſed de man-

manducatione præſenti, nulla ſymbolorum fulcro ſuſtentata. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; in præſenti tum loquebatur Chriſtus, non futuro. Et qui jam tum, eo modo, quem Chriſtus exegit, Tros Rutulùs fuerit, carnem ejus comedit; non demum poſtea transſubſtantiandam ex pane, quem nec ad manus tunc habuit, nec conſecravit, ſed exiſtentem jam; vitæ utique candidatus erat æternæ. Niſi omnibus illis, qui in Chriſtum, jam multis antè cum Abrahamo ſeculis crediderunt, neque tamen corpus ejus, in Sacramento longè pòſt inſtituendo, ederũt, ſalutem, cõtra expreſſa Chriſti verba, velimus abjudicare; Chriſtum de inſtitutione Cœnæ Dominicæ loquentem hoc loco introducere non debemus. Sed ſatis textus Johannis à nobis ſuprà vindicatus eſt. *Patres omnes*, vel de Euchariſtia *locum intelligere*, vel de corpore in Euchariſtia transſubſtantiato, nec dare poſſumus; nec, ſi daremus, cauſa propterea noſtra periclitaretur. Rejicimus Virum doctiſſimum ad Sect. 9. ubi hanc antiquitatis larvam detraximus. Sed *nec recentiorum*, & *veſtratium* quidem *omnium*, hanc eſſe ſententiam, ibidem monſtravimus. Ut turpiter ſe det Vir doctiſſimus, quòd adeò confidenter in Patrum antiquorum *omnium*, & recentiorum exemplo, præſidium, quod ficulneum planè eſt, quærat. *Verba*

inſtitutionis *apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Paulum lucem* accipere, ex verbis Chriſti Joh. c. 6. non modò libenter damus, ſed etiam, Sectione citata, rationibus confirmavimus. Quod *verò fruſtra laborare* Tigurinos, Articulus tertius concludit, *in quibuſdam locis Auguſtini, Athanaſii, Hieronymi, Tertulliani, Origenis, & aliorum, ad ſuam manducationem myſticam & Spiritualem tam in Sacramento, quàm extra Sacramentum, detorquendis*; illud ipſum in Virum doctiſſimum retorquemus. Patrum enim hypotheſis, *de manducatione corporis Chriſti Spirituali*, de *corpore Chriſti localiter in cœlum ſublato, de veritate corporis glorioſi; de ſymbolis, Typis, antitypis &c.* cum Tranſubſtantiatiōe ſubſiſtere non poſſe, tam eſt apertum, quàm quod apertiſſimum. Exceptionibus ad Patrum dicta, à Tigurinis allata, Vir doctiſſimus nihil proficit. Vas quidem vitreum allambit; ſed pultem non attingit. Corticem arrodit, nucleum non lædit: Circumſtantiarum varietatem magno conatu quærit, ſubſtantiæ diverſitatem non reperit. Et quoniam; Virum doctiſſimum, ad loca quædam Patrum in cauſæ noſtræ ſubſidium vocâta, excepturum, ſe jam in Diſceptatiōe publica ad ea reſpondiſſe; haud obſcurè augurari potuimus, minimo minus abfuit, quin hanc etiam illi unius atque alterius teſtimonii examine, eripuiſſemus tergi verſandi an-

anſam. Sed veriti, ne, quod in diſceptationibus ejusmodi fieri frequenter ſolet, ſcopo ad quem utrinque tendimus, neglecto; meta, ad quam currendum, poſthabita, ſeria hæc de re magni momenti diſquiſitio in puram putam abiret viti-litigationem, aut conqueri jure Vir doctiſſimus poſſet, me, non collato pede congreſſum, carptim tantùm ea, quæ placuiſſent, perſtrinxiſſe, hæc jam diverticula, anfractus, & ſuffugia oſtendere noluimus. Suo dicendum erit loco, aliter Patres à nobis citatos loqui, aliter eos interpretari doctiſſimum diſceptatorem. Niſi, quod ſperamus, ex iis, quæ citata à nobis ſunt, defæcatioris antiquitatis documenta, ipſe, quo eſt candore, & judicio, ſit animadverſurus, luculentiora *Theodoreti*, verbi gratiâ, *Gelaſii*, *Auguſtini* eſſe verba; argumenta, quæ, à ſymbolis Sacramentalibus petita, Transſubſtantiatoribus Eutychianis iidem oppoſuerunt, ſolidiora & nervoſiora, quàm quæ in alienũ, & à nobis diverſum, rapi poſſint ſenſum. Legat, quæſo, cum cura & attentione (ſed & abſque præjudicio) totam *Theodoreti* diſputationem, noſtram ex eodem formatam analyſin, expendat, cum ſuis exceptionibus conferat, pudebit, credo, deinceps diſertis diſertiſſimi ſcriptoris verbis, tanto cum veritatis diſpendio, injuriam facere. Solis radiantis negare ſplendorem, & Theodoreti ſuffragium bonæ Reformatorum cauſæ ſubtrahe-

re, perinde eſt. Hoc expectamus à doctiſſimo Viro, ut, quæ dicta à nobis ſunt,æqui boniquè conſulat. Non ignorat, *Apologeticum* genus ſcribendi & antiquiſſimum eſſe,& innocentiſſimum, addo & utiliſſimum. Nunquam Majores noſtri hæc infeliciter arripuerunt arma. Nobis etiam bene ceſſura, ſperamus. Non calumniãdo modò, ſed & defendendo aliquid ſemper dicitur,aut ſcribitur,quod hæreat.Si quæ fortaſſis in Apologia noſtra aſſequi nondum poteſt; vitio illud ei non dabimus. Novimus enim, quòd teſta eum,quo ſemel odore recens eſt imbuta,diu ſervet. Novimus,*χαλεπὸν μεταδιδάσκειν*. *difficile eſſe* ea *dediſcere*,quibus à puero aſſuevimus:Novimus,domeſticum,parentum exemplum, magis in veneratione eſſe, quàm extraneum,opinione adverſariorum. Qui oculorum uſum in Evangelio recepit,non ſtatim lynces provocare fuiſſet auſus. Homines ei ambulare viſi fuerunt tanquam arbores, *Marc*. 8.25 Paulatim ad ſe rediit. Id nobis ſatis hac vice fuerit,conſtare doctiſſimo Viro,noſtræ nobis de Euchariſtia ſententiæ rationes abundè ſuppetere: Conſtare,Tigurinam Eccleſiam magis convenienter Evangelio & Scripturæ docere,quàm Romanam. Si hoc obtinuerimus,res erit in vado: ſin minùs, & ſcrupuli adhuc obſtiterint (alii tamen,quàm qui in *Diſceptatione* ſunt detecti,quibus etiam doctiſſimum Virum facilimè,

ubi

ubi nihil aliud ſupereſſe nobis innotuerit, liberabimus) operam noſtram tantò ei libentiùs offerimus, quantò majorem in Tigurinos amorem atque ſolicitudinem, ad ſcripti ſui calcem, profitetur. Sed manum de tabula, ubi vel unum adhuc addiderimus.

IX. *Credis, Rex Agrippa*; quærit Paulus Act. 26. verſ. 27. 28. *Prophetis? Scio te credere. Agrippa verò dixit Paulo, propemodum perſuades mihi, ut fiam Chriſtianus.* Ego de doctiſſimo Viro illud mihi polliceor, pro explorato eum deinceps habiturum, Reformatorum de Euchariſtia ſententiam non ita profanam eſſe, irreligioſam, aut ſacrilegam, ut convitia propterea ubique mereatur & atrociſſima ſupplicia. Non nuda abiis in Cœna Domini proponi ſigna, aut vacua ſymbola; ſed ipſum Chriſtum, ipſius corpus & ſanguinem verè communicari. Surdis ferè hactenus fabulam narravimus, ſi quando cauſæ innocentiſſimæ ſuſcepimus patrocinium. Jam verò, quando Vir doctiſſimus publicè teſtatur, ſe *Tigurinis omnibus publicè & privatim, in cœlis & terris optimè conſultum velle*; cur non vel hanc ſperemus ab eo gratiam, ut cauſæ noſtræ vel aliqua ſaltem (neque enim dum omnia enarravimus) momenta legat, expendat; judicet denique, an digni ſimus, qui vel deſertores habeamur veſtigiorum Dominicorum, à quibus ne latum unguem recedimus, vel contem-

tores

tores veræ Eccleſiæ,vel puræ antiquitatis deriſores,prout magna ubique licentia traducimur. Spero, non *propemodum* tantùm,ſed ἐν πολλῷ, imò in *totum*,nos doctiſſimo Viro perſuaſiſſe,ut clementiùs deinceps & æquiùs de nobis ſentiat. Et verò nec dum videmus,ullam ſive odii,ſive indignationis in Tigurinis reſidere culpam, quòd religionis non eadem vel dogmata,vel ritus, vel etiam adminiſtrationis regimem, cum Eccleſia Romana,agnoſcant. Curæ meritò fuit Tigurinis,ut Deo darent,quod Dei eſt,hominibus,quod illis debetur. Amicus illis Cicero,amicus Plato,amicus Græcus,amicus Barbarus, ſed magis amica veritas. Matrem Eccleſiam venerantur, reverentur; ſed tum demum, ubi Patris cœleſtis non retrahit authoritas. Et cur, quæſo, Tigurini aliis,amicis cæteroquin & Confœderatis,propter eam inviſi ſint aut exoſi religionem,quæ ſolum Deum authorem ſuum agnoſcit & veneratur? Cui nullius articuli fundamentalis objici aut exprobrari poteſt defectus? Quæ ſola fidei & vitæ eam recipit cynoſuram,quam Deus ipſe præſcripſit,Apoſtoli retinuerunt,tota Eccleſia primitiva reverenter coluit? Qui ſuo ab Eccleſia Romana diſceſſu nihil aliud intenderunt,quàm ut gloriæ Dei, & ſaluti proximi conſulerent. Num propterea, ne quid gravius dicam, vulgi fabula ſint, & maleferiatorum incus? Patere, doctiſſime Vir, modeſtum

deſtum hoc meum, ex ſinceritate animi profectum, alloquium. Repeto igitur, magnâque fretus optimæ cauſæ fiducia ingemino, religionem Reformatam ſolam eſſe, quæ ſolius authoritatis, indubitatè divinæ, ſuffulta ſtet fundamento. Soli enim ſunt Reformati, qui Scriptis Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum, tanquam unico religionis principio, adeóque, revelatæ per Scripturas, Dei voluntati innituntur. Quàm præclarè de hac Chriſtianiſmi cœleſti cynoſura mereatur Roma, ſuo heic loco relinquemus, Hanc enim Camarinam movere, hujus inſtituti non eſt. Ex phraſibus impiis, diſputationibus abſurdis, proceſſibus horrendis poſteritas, ſi quæ futura eſt, judicabit, utra Eccleſia, Pontificia an reformata de Verbo Veri & æterni Dei, religioſiùs ſentiat atque loquatur. Illud dolemus, non perjurium tantùm, magno Chriſtianiſmi damno, Chriſtianis, à Turcis exprobrari, ſed ab iiſdem, nec ſine ratione, inde à multis retroactis ſeculis, fuiſſe objectum, illos novos ritus, nova dogmata, novum regimen, contra expreſſam Dei voluntatem, contra Chriſti, ſupremi Doctoris authoritatem, invexiſſe. Horret animus, ſtántque comæ, quoties memini, jam ante Reformationem, magno inter Mauritanos Viro, natam occaſionem, Chriſtianis aurem vellicandi, iiſdémque objiciendi, ſanctorum invocationem, Ἀγγελολα-

τρείαν

τξεῖαν, judicium Epiſcoporum ἀνυπεύθυνον, ſuperſtitioſas creaturarum conſecrationes, cultum imaginum, fraudulenta in iis confirmandis miracula, Confeſſionem auricularem, feſtorum multiplicationem, aliáque, humana authoritate, ſtimulante vel dominandi libidine, vel novaturiendi prurito, contra Dei verbum, contra Chriſti mandatum; paulatim fuiſſe recepta, commendata, obtruſa. Talia per Reformationē ſunt abolita, quòd Scripturæ fundamento carerent. Hæc ergò labes illa eſt, hæc macula, quâ ſe Eccleſia Reformata, ſponſa Chriſti, quòd aliam, quàm Sponſi vocem audire nolit, reddit in famem. *Quò abibimus;* quærit Petrus, ex Servatore; *verba æternæ vitæ habes*? Joh. 6. 68. Quò nos aliò abiremus, Vir doctiſſime? An ad Concilium Tridentinum, quò rejici ſolent Romanenſes? Hoc, niſi me fallat opinio mea, non ſuadebis. An ad Pontificem Romanum, Oecumenicum, & ipſis Conciliis ſuperiorem, Epiſcopum? Hoc nec ipſe facies, nec aliis commendabis, qui pro authoritate Conciliorum libentiùs pugnabis. An ad Decreta Pontificum? Nihil hîc ſolidi. Negat Johannes & Stephanus quod Formoſus affirmavit, & nihil uſitatius Romanæ ſedis novis Proſtatis, quàm Prædeceſſorum refigere placita. Traditiones, quas vocant Apoſtolicas, conſulemus? Quis verò eas, quæ hoc nomine veniunt, non eſſe ſuppoſititias,

præ-

præſtabit? Quis exactum hactenus Catalogum earum proferre fuit auſus? An Patrum tandem ſtabimus ſimpliciter judicio? Vix author erit Vir doctiſſimus, cui non eſt obſcurum, nec Romæ placere omnia, quæ illi ſcripſerunt, qui & multa ignorârunt, & ſæpe inter ſe ſunt conflictati, interdum ſecum ipſi pugnârunt. Quid ergò reſtat, niſi ad eum tantùm recurramus, qui ſolus via eſt, vita, & veritas, Joh. 14. v. 6. *Habet tamen & Eccleſia Romana verbum Dei, Biblia ſacra?* Hâbeat; ſola tamen non habet, ſed aliâ religionis, eámque curvam, imò Leſbiâ Traditionum adhuc ſequitur regulam: Quo certè nomine Reformati Eccleſiæ Romanæ palmam felicitatis præripiunt. Vel optimus cibus, ex leviſſimo veneni pulviſculo exitium afferre poteſt. Purum, defœcatum cum Eccleſia veteri, Reformati agnoſcunt Ἰατρεῖον ψυχῆς, *medicamen animæ*, Scripturam ſacram; non mixtum. Ut tutiùs, citiùs & jucundiùs ille curat chirurgus, qui emplaſtrum vulneri adhibet, quod omnium conſenſu ſalutare eſt, & malo curando ſufficiens; quàm qui, ſub ſpecie commodioris medicamenti, alia admiſcet, de quibus inter artis peritos diſceptatur: Ita minori cum periculo agunt, qui in examinandis, determinandis, recipiendis fidei dogmatibus, illud tantùm amplectuntur, quod omnium calculo & ſuffragio, ubique & ſemper in Eccleſia Chriſtiana pro divino

vino

vino,citra controverſiam,oraculo fuit habitum; & cui officium tum *judicis* in fide,tum *judicis* in vita,nemo fuit auſus abjudicare; quàm qui, ſub prætextu plenioris revelationis, ea etiam, quæ dubia ſemper fuerunt & controverſa,arripiunt. Non ergò vel Angelus,ſi aliud annunciaverit Evangelium,quàm quòd annunciatum nobis eſt,tam inſigni cimelio nos defraudare debet. Sed & cur ea Eccleſia vel odium,aliquo ſuo merito,aliorum expectet,vel convitium,quæ ſalutis retinet fundamentum? At retinere illud Tigurinos, Confeſſio Helvetica fidem abundè facit. Quòd errores, qui,paulatim dogmatibus adnati, vel periculoſè à ſcopo aberrant, vel aliàs fundamento inſidiantur,emuſcârunt,id verò in laude ponendum erat iis, qui Deo magis, quàm hominibus,Apoſtolico exemplo, obediverunt. Vel unũ inapricum proferat Schola Pontificia articulum,in Eccleſia Dominica,Apoſtolica, primitiva fundamentalem, quem Reformatores noſtri rejecerint. Si ergò ſalutis fundamento per Reformationem nihil deceſſit; cætera contrà dogmata,ritus,& regimen,in Eccleſia hactenus Romana obſervata,alia quidem directè,alia indirectè fundamentum labefactant; alia conſcientias miſerè turbant; alia per infirmitatem ingenii humani non capiuntur; alia ab interna devotione plebem abſtrahunt,cur non illi lubentiſſimè accedamus religioni, quæ ſalvo

vo fundamento,tot incommodis & difficultatibus, periculoſis & moleſtiis non impeditur? Quid,quæſo,hîc iterum vel reatus,vel criminis? Aut num propterea, quòd negativi nobis non omnes placeant articuli ; quòd nec imagines colamus, nec ſanctos defunctos adoremus, neque legem cibariam ex praxi Romana admittamus,neque cœlibatum cleri probemus,neque in purgatorium conſentiamus, neque Pontificis infallibilitatem in judiciis,nec univerſalem poteſtatem ſive intemporalibus,ſive Eccleſiaſticis agnoſcamus , vel hæreſeos debeamus accuſari , vel aqua & igni interdici ? Scio,ita olim viſum fuiſſe Pontifici, Extrav. Comm. l. 1. Tit. 8. de Majoritate & obedientia , ubi ex ungue ſtatim leonem: *Omnes Chriſti fideles* (ita argumentum capitis 1. ſonat.)*de neceſſitate ſalutis ſubſunt Romano Pontifici,qui utrumque gladium habet,& omnes judicat,& à nemine judicatur.* Clauſula verò ipſius capitis: *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ* (tam in temporalibus,quàm Spiritualibus, huc enim tota Pontificis tendit diſputatio)*declaramus,dicimus,definimus & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Sed non placuiſſe hæc vel ChriſtianiſſimoRegi Galliarum,vel Facultati etiam Theologicæ Pariſienſi,tum ex documentis plurimis aliis,tum verò ex nupero Arreſto ſupremæ Curiæ,d, 30.Maij 1663.edito,ſa-

tis eſt manifeſtum. Poſitiones Facu ltatis αὐτολεξεὶ ita habent: Primò *non eſſe doctrinam Facultatis, ſummum Pontificem aliquam in temporalibus Regis Christianiſſimi auctoritatem habere; imò obſtitiſſe Facultatem etiam in iis, qui indirectam tantummodò voluerunt eſſe illam auctoritatem.* Secundò, *eſſe doctrinam Facultatis, quòd Rex Chriſtianiſſimus nullum omnino agnoſcit nec habet in temporalibus ſuperiorem, præter Deum, eámque eſſe antiquam doctrinam, à qua nunquam receſſura eſt.* Tertiò; *doctrinam Facultatis eſſe, quòd ſubditi fidem & obedientiam Regi Chriſtianiſſimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu diſpenſari poſſint.* Quartò *eandem facultatem non probare, nec probaſſe unquam propoſitiones ullas Chriſtianiſſimi Regis auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in regno Canonibus contrarias: Verbi gratia, quòd ſummus Pontifex deponere poſſit Epiſcopos adverſus eoſdem Canones.* Quintò; *doctrinam Facultatis non eſſe, quòd ſummus Pontifex ſit ſupra Concilium Oecumenicum.* Sextò, *non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd ſumus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis.* Hæc facultas Theologica Pariſienſis. Sed, num fortè propterea Reformati malè audient, quòd ſacra ſua ad normam Scripturæ ſacræ exactiſſimè voluerint reformara, aut repurgata? Cæteri, qui

Eccleſiæ Romanæ adorant culmen, ſi quid fortè habeant ex Scriptura, traditionum mox humanarum luto permiſcent; laneum lineo intertexunt; ignem alienum ad aram Domini afferunt, verbum Dei καπηλεύουσιν cauponum more adulterant. Reformati verò vel ideo hoc gaudent nomine, quòd ad normam & formam verbi Dei omnia voluerint repurgata. Aut num Tigurini eo diſpliceant nomine, quòd per Reformationem è medio ſuſtulerint, longéq; valere juſſerint, quicquid vel honorem Dei lædit, vel per quod proximi ſalus ad ſcopulos allidit & ſyrtes? Non videt Eccleſia Reformata, Verbum Dei ſcriptum, cum Traditionibus, ceu verbo non ſcripto, poſſe ſubſiſtere. Cur? Reclamat gloria Dei, quæ non permittit Deo tribui *ita & non*, 2. *Cor.* 1.18. At conſtat, duplex illud verbum è diametro ſibi eſſe oppoſitum. Illud cultum imaginum prohibet, hoc eum commendat. Tollunt Eccleſiæ Reformatæ mercatum Indulgentiarum, metum Purgatorii, &c. Cur? Detrahunt hæc humanæ curioſitatis inventa gloriæ juſtitiæ divinæ, quæ ejuſdem debiti geminam ſolutionem non admittit. Satisfeciſſe Chriſtum pro peccatis noſtris, Scriptura ubique teſtatur. Cur ergo ſatisfaciendum denuo ſit iis, qui ſi ſatisfacere potuiſſent, Chriſtum è gremio Patris ſui non elicuiſſent? Non probat Eccleſia Reformata immoderatum, quem Eccleſia Romana recipit

& admittit cultum B. Mariæ Virginis & Sanctorum. Cur? Quia adorationis ſibi honorem ſoli deberi, clariſſimè Deus pronunciavit, *Deut.* 10. 20. *Matth.* 4. verſ. 10. Unum agnoſcit Eccleſia noſtra Sponſum, unum Sacerdotem, unum caput, unum Mediatorem. Cur? Quia non conveniunt conjugi duo Sponſi, nec Eccleſiæ N. T. duplex Sacerdotium propriè ſic dictum; nec corpori, niſi monſtroſo, geminum caput, nec Apoſtolicæ Eccleſiæ niſi unus Mediator. Cur ergò talia vel ſomniaremus? Non Reformati per religionis emendationem, gratiam hominum aucupantur, opum, vel authoritatis incrementum quærunt. Gloria Dei ſuprema hic Lex eſt; cui proximè accedit ſalus hominum. Lectionem & Translationem Scripturæ ſacræ in Linguas vernaculas ſtrenuè defendimus. Cur? Animarum illud ſalus exigit. Si enim Scripturæ ſacræ ſint Epiſtola Dei ad homines, cur non debeant legi? Si legi, cur non etiam transferri? Si ſint Teſtamentum, filiis Dei legatum, cur denegetur illarum uſus hæredibus? Si ideo datæ ſunt, ut credamus, Jeſum eſſe Chriſtum, & credentes habeamus vitam æternam, cur arceamur à legitimo earum uſu? Juſtificationem gratuitam, Chriſti merito acquiſitam, & vera fide apprehenſam, cum Apoſtolo, grata mente accipimus, ſequeſtrato bonorum operum merito, adeóque rejecto veteri Phariſaiſmo.

Cur?

Cur? Id & gloria Servatoris noſtri (qui ſi perfectè nos non redemiſſet, Jeſus noſter non eſſet) & ſalus poſtulat hominum, de qua actum planè eſſet, ſi ſuæ quiſque ſalutis faber eſſe deberet. Quantò Chriſtiani plerique Turcis & judæis eſſent inferiores, ſi vel eleemoſynarum liberalitate, vel precum ſive numero ſive murmure, vel quibuſcunque exercitiis corporis, quibus vera pietas non abſolvitur, certandum eſſet? Sed de his aliâs. Videt doctiſſimus Vir, nullum, religionem reformatam, odium mereri, nullam invidiam. Si qui tamen optimæ cauſæ inſultare, & quocunq; modo Gregem Domini infeſtare perrexerint, nôrint, vivere adhuc Eum, qui de cœlo clamavit; *Saul, Saul, quid me perſequeris? Difficile tibi erit contra ſtimulum calcitrare,* Act. 9. verſ. 4. 5. *Beati contrà erunt, qui perſecutione invaduntur juſtitiæ cauſa; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati & nos erimus, quum convitiati nos fuerint & perſecuti, & mentientes quidvis mali adverſus nos, propter Chriſtum,* Matth. 5. 10. 11. Gaudeamus, quoniam merces noſtra gratuita magna erit in cœlis!

FINIS.

VITTORIO EMANUELE

L. B.

S.

Si quid vel Typothetarum, vel correctorum irrepſit incuriâ, quod medicam requirere poſſet manum, illud L.B. relinquimus induſtriæ & æquitati. Nos, inter relegendum, ſequentia obſervavimus, emendanda. P. 1. l. 24. libror. P. 8. l. 3. contrà, quæ &c. P. 27. l. 12. del. 1. P. 35. l. penul. Exod. 4. P. 39. l. antep. capit. v. 21. P. 42. l. 26. expreſſum. P. 46. l. 23. ſtraturum viam. P. 56. l. 21. divelli non poſſumus. P. 77. l. 2. eas. P. 139. l. 10. tum magnus ille -- lin. 16. recitata: tum alter, Antiochenus. Hic etiam. P. 212. l. ult. cum intentione.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google